adhuc durat, imo eſt actus: ergo per nullum actum eo durante firmabitur matrimonium, juxta nu. 7. Tandem, quia fictio non poteſt operari plus quam veritas, *l. Filio quem pater. ff. de liber. & poſthu. & §. Minorem, inſtit. de adopt.* ſed conſenſus expreſſus per verba de præſenti metu extortus non conſtituit matrim. ergo a fortiori nec fictus, & præſumptus per copulam. Et ideo hanc ſent. tenet *Abb. c. Diſcretionem, nu. 3. fin. de eo qui cognovit conſang. & c. Conſultat. fine de ſponſ.* ubi *Præpoſ. nu. 2. init. & ibi Alex. de Nevo, nu. 10. & cap. Continebatur, de deſponſat. impub. num. 10. Jaſ. l. Titia, num. 6. verſ. Sexto adde ff. de verb. oblig. Pariſius conſ. 58. nu. 69. & conſ. 60. nu. 34. vol. 4. Turrecr. 31. q. 2. in ſum. nu. 11. Silveſt. matrim. 8. qu. 11. dicto 5. Navar ſum. Lat. c. 22. num. 51. ad fin. Menoch. de præſumpt. l. 3. præſumpt. 4. num. 31. & ſeqq.* quamvis enim videatur mediam amplecti ſententiam, ut ſi vir metu conſummet, valeat matrim. ſecus ſi femina: at revera hujus eſt ſent. nam *nu. 35.* expreſſe dicit, ſi mulier conſummet, non ſolum vi præciſa, ſed etiam conditionali, quæ per metum infertur, non valere matrim. defectu ſpontanei conſenſus: & licet *nu. 31.* contrarium dicat in viro metu conſummante, id dicit, ut ipſemet ſe explicat *nu. 33. fi. & 34.* quia credit non poſſe contingere, ut vir metu compulſus conſummet: carens enim deſiderio non poterit coire. Quare ſuppoſito, metu conſummari matrimon. clare ſentit, non effici validum. Et ex Theologis eamdem ſent. tenent *Ricard. 4. d. 29. art. 2. qu. 2. D. Ant. 3. p. t. 1. cap. 7. ad fin. ante verſ. Tertia concluſio eſt: Ledeſ. 2. p. 4. qu. 49. art. 3. fin. Palac. 4. diſt. 29. diſp. un. fol. 663. ante verſ. Conſentiunt in dogmate: Enriquez l. 11. de matr. c. 9. nu. 7. Philiarc. de offic. ſacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 8. ad fin. Petr. de Ledeſ. de matr q. 47. art. 3. dub. pen.* Et in alio ſimili, tenent eamdem ſent. aſſerentes olim non tranſiiſſe in matr. ſponſalia per copulam metu extortam. *Ant. d. c. Continebatur, nu. 8. fin. & c. Is qui fidem, n. 7. de ſponſ.* ubi *Anch. nu. 6. Henric. nu. 11. Præpoſ.* dicens communem, *n. 7. Alex. de Nevo, d. c. Continebatur, num. 10.*

36 Monuerim tamen, ſi matrimonio metu conſummato, aliquando accedat copula ſpontanea, depoſito jam prorſus metu, animo ratificandi prius matrim. invalidum, ſcienti accedente copula illa, fuiſſe invalidum, & ea ratificari, manere firmum matrim. juxta nu. 2. tradita. Quod habet etiam verum poſt Trident. in caſu quem nu. 12. explicui, & 13.

37 Ex dictis infertur, metu gravi contrahentem matrim. potius debere mortem pati, quam conſummare. Quia cum non valeat matrim. eſt copula fornicaria. Poſſet tamen excuſari, ſi accedat animo maritali, ſequens priorem opinionem probabilem aſſerentem ea copula ratificari matrim. Sic *Enriq. l. 11. de matrim. cap. 9. nu. 7.* Quod intellige in eo caſu, in quo poſt Tridentinum, efficeretur verum matrimonium: quem *num.* 12 & 13. declaravi.

38 Ad argum. primæ ſentent. *num.* 13. propoſita, reſp. Ad 1. dic eos textus intelligi, quando copula eſt ſpontanea. Ad 2. dic eum eſſe metum cadentem in virum conſtantem, quoad effectum irritandi matrim. licet illud conſummans cogatur ad peccatum mort. Quia (ut dixi hoc lib. 4. diſp. 2. num. 3.) quoad hunc affectum, ſolum attendit jus, an malum comminatum ita grave ſit, ut ex ſe tollat ſpontaneam voluntatem in viro conſtanti, illumque pavere merito faciat. Vel 2. reſpondetur, eſto dicamus non eſſe metum cadentem in virum conſtantem, niſi ipſe eligat matrimonium; & accedat affectu conjugali, at etiam data hac electione, & acceſſu, non eſt matrim. quia prior metus, quo contractum eſt matrim. qui erat cadens in virum conſtantem, adhuc durat, imo eſt auctus. Ad confirm. dico intelligi majorem, quando rationabiliter, & illæſa conſtantia ex parte objecti, tollit libertatem: quia objectum metus, nempe malum comminatum, eſt grave, & tale, ut merito conſtantem moveat: quamvis alias irrationabiliter, & contra conſtantiam agat, eo quod peccet. Vel 2. eſto ille metus eſſet irrationabilis, at metus prior qui cenſetur durare, eſt rationabilis. Ad 3. ſolum concludit Eccleſiam præſumere acceſſum illum eſſe animo maritali, non tamen inde ſequitur perfici matrimon. quia requiritur, ut ſit ſpontaneus; & liber acceſſus. 2. poſſemus dicere minime præſumere animum maritalem. Quia cum eo dato non ſit matrimonium, minime vitatur præſumptio fornicationis, quæ vitabatur, cum copula erat ſpontanea poſt ſponſalia. Ad 4. dico, eam legem non ſolum reſpicere utilitatem perſonæ particularis contrahentis, ſed potiſſimum totius reipublicæ, cujus maxime intereſt, ut matrimon. ſint libera, ne ex matrim. coacto diſſenſiones oriantur: quare non mirum, ſi aliquando in damnum ipſius privati contrahentis redundet: unde *reg. illa, Quod ob gratiam*, &c. intelligi debet, quando ob bonum privatum aliquid conceditur. Et per hoc patet ad confirmationem, poteſt enim quilibet cedere juri in favorem ſuum introducto; ſecus quando eſt in favorem boni communis. Ad argum. 2. ſentent. propoſitum, num. 14. fateor, qui metu contraxit, poſſe poſtea depoſito metu contrahere, at in eo eventu metus durat.

DISPUTATIO XIX.

An ſponſalia metu viri conſtantis inita, ſint nulla ipſo jure, ſicut & matrimonium, vel potius annullanda, inſtar aliorum contractuum?

SUMMARIUM.

Proponitur utilitas cognitionis, an ea ſponſalia ſint nulla, vel annullanda, & opinio aſſerens non eſſe ipſo jure nulla, n. 1.
Proponitur ſent. aſſerens eſſe ipſo jure nulla, nu. 2. Et explicatur ibi, juncto nu. 2. cap. Ex litteris, de deſponſ. impub. Et opinio authoris, 3.
An metus illatus poſt contracta ſponſalia, ſit juſta cauſa illa diſſolvendi, 3.
Metus levis non irritat ſponſalia, 4.
Quamvis ſponſalia metu gravi inita, eſſent valida, poſſet metum paſſus, propria authoritate reſilire, nu. 5. Et ſimiliter poteſt quando metus eſt levis, 6.
Solvuntur argumenta, 7.

Diſp. hæc eam utilitatem affert: ſi ipſo jure valida ſint, quamvis reſcindenda, parient publicæ honeſtatis impedimentum: ſecus ſi ipſo jure invalida ſint, juxta *Trid. ſeſſ. 24. c. 3. de matr.* Et ratio dubitandi ea eſt potiſſima: quia textus, ut *c. Conſultat. c. Cum locum, de ſponſ. c. 2. de eo qui duxit in matr.* irritantes expreſſe loquuntur de matrim. & quamvis ſponſalia ſint præparatoria ad matr. & ob id videtur poſſe dici, diſpoſitum in matrim. cenſeri diſpoſitum in ſponſalibus *l. Oratio, ff. de ſponſ.* Verum id verum non habet, eo quod eſt diſtincta ratio in his, ideo enim matr. metu irritavit Eccleſia, quia ſi ſemel eſt validum, amplius reſcindi non poteſt: ſed ſponſalia ſemel valida poſſunt diſſolvi, & de facto multis ex cauſis diſſolvuntur, ut conſtat ex præcedentibus: ergo non in hoc ſequentur naturam matrim. ut eo ob metum irrito, cenſeantur etiam ſponſalia ob metum irrita. Maxime quia per hoc induceretur multorum jurium correctio diſponentium contractus metu initos irritandos eſſe, non irritos ipſo jure (Ut dixi hoc 4. lib. diſp. 8. n. 4.) 2. quia hac ratione (ut diximus l. 1. diſp. 12. n. 2.) quamvis Tridentinum irritarit matrim. clandeſtina, non cenſetur ſubinde irritaſſe ſponſalia clandeſtina, eſt enim diverſa ratio. Cum ergo nullus detur textus irritans ſponſalia clandeſtina, dicendum eſt ea valida eſſe ipſo jure. 3. quia textus, cui innituntur aliqui DD. ad cenſendum eſſe irrita, nimirum *c. Ex lit. de ſponſ. impub.* videtur expreſſe loqui, quando puella omnino invita contraxit ſponſalia. Et ita textus ait, *nolens, & invita: & gl. notab. 1.* ait, *nota, quod ſponſalia per vim contracta non tenent.* Et cum dicat textus, *de voluntate parentum potius, quam de ſua, ait gloſ. verb. Potius, elective, & non comparative*: quam gloſſam explicans *Hoſt. ibi, ſuper verb. Potius*, ait, *electivo, quaſi dicat, non de ſua voluntate.* Et *idem Hoſt. ibi, ſuper verb. Nolens, & Joan. Andr. n. 2.* ajunt, *& forſan ligata*: & *Innoc. ibi, init.* dicit, omnino defuiſſe conſenſum. Cum ergo textus minime probet ſponſalia metu inita, eſſe ipſo jure nulla, dicendum erit eſſe valida, juxta generalem aliorum contractuum regulam. Et ita docent *Enriq. l. 11. de matr. c. 9. n. 6. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 47. a. 3. circa 3. arg. dub. 3.* 1

Contrariam partem, nimirum, eſſe ipſo jure irrita talia ſponſalia, per *c. Ex lit. de deſponſ. impub.* tenent DD. non pœnitendi. Pro cujus textus intelligentia revocandum eſt in memoriam, quod diximus l. 1. diſp. 21. nu. 2. quando ante debitam ætatem ex parte utriuſque, aut alterius contrahentis, qui adhuc impubes eſt, celebratur matr. habere vim ſponſalium. Et quod diximus eodem lib. 1. diſp. 51. n. 6. 9. & 10. non poſſe alterum reſilire, ſive pubes, ſive impubes ſit, donec alter ad pubertatem veniat. Continet ergo ille textus puellam duodennem, & ſic puberem metu minarum parentis nupſiſſe impuberi, quare fuerunt ſponſalia, & concludit textus, ſic; *Si puella commonita, ut donec compleat idem puer annum XIV. expectet, non duxerit expectandum, ei, ſecundum ea quæ propoſita ſunt, accipiendi alium virum tribuas facultatem.* Ubi *gloſſ. fin.* quam ſequuntur *ibi Card. fin. & Anchar. n. 4.* opponit *cap. De illis, el 1. & c. A nobis, de ſponſ. impub.* per quos textus conſtat, puberem non poſſe reſilire a ſponſalibus cum impubere contractis, donec hic pubeſcat. Et reſpondent id verum eſſe, quando ſponſalia fuerunt valida: at in caſu hujus textus eſſe invalida. Ex hoc ergo textu conſtat, ſponſalia coacta, eſſe invalida ipſo jure. Quod autem contracta ſint vi conditionali, hoc eſt, ſolo metu, colligitur ex textu, ibi, *minis parentum impulſa.* Nec obſtant ea verba, *nolens, & invita.* Quia in jure metus appellatur vis: ut conſtat ex *c. 2. de pactis in 6.* ibi, *ſi tamen juramento non vi nec dolo præſtito*: ubi juramentum metu extortum, appellatur vi præſtitum (non enim vi præciſa poteſt juramentum extorqueri, cum ſit vinculum, quod homo propria voluntate ſibi imponit) Hanc ſent. tenet *Ant. d. c. Ex litt. n. 1.* ubi *Abb. n. 2. Alex. de Nevo n. 2. Anchar. c. Veniens, el 2. n. 6. de ſponſ. Pariſ. conſ. 58. n. 62. & conſ. 60. n. 10. vol. 4. Mart. de Garatis inter conſilia matr. Zileti, conſ. 15. n. 22. & ſeq. Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 5. n. 1. Barboſ. ſolut. matr. 4. p. rubr. nu. 30.* Et ex Theologis, eam defendunt ac probabilem, *Ricard. 4. d. 29. art. 1. q. 2. §. Qui vult tenere opinionem ſecund. Palud. ead. d. q. 1. ad fin. n. 32. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 47. art. 3. circa 3. arg. dub. 3.* Et hanc ſupponit *Sotus 4. d. 41. q. un. art. 2. ad fin. ante verſ.* 2

Ubi tamen ſponſ. ubi docet ex ſponſalibus nullius defectu conſenſus, ut ſi per errorem, aut metum contracta ſint, non oriri publicam honeſtatem. Ubi clare ſupponit eſſe invalida metu contracta: alias publica honeſtas oriretur. Eamdem tenet *Manuel 1. to. ſum. 2. edit. c. 231. n. 4. & c. 44 n. 4.*

3 I. Concluſio ſit: prior ſent. eſt ſatis probabilis, at hæc poſterior eſt probabilior. Cavendum tamen eſt ab *Alex. de Nevo, d. c. Ex litteris, n. 5. & 6.* ex his colligit ex eo textu, metum illatum poſt ſponſalia inita, eſſe juſtam illa diſſolvendi cauſam, ſive ab impuberibus, ſive a puberibus contracta ſint. Et probat ex eo textu, ex quo conſtat, ſponſalia illa abſque metu inita eſſe, poſteaque per metum traductam eſſe illam puellam: ibi, *puella quædam anno XII. jurata fuit, & deſponſata cuidam puero, & tempore procedente de voluntate parentum, potius quam de ſua ad domum patris pueri adducta, ubi nolens, & invita, minis parentum impulſa.* Velle autem ſupplere, deſponſatam eſſe minis parentum, eſt impropriare verba, id enim expreſſiſſet Pontifex, ſicut expreſſit juramentum, & minas in traductione ad domum. Sed dico id minime verum eſſe. Si enim ſponſalia ſemel valida fuerunt, coactio ſubſequens circa matr. cum minime ipſa inficiat, ſed ſolum matr. hoc irritabit, manentibus illæſis ſponſalibus: eo vel maxime, quod puer ille cui ſponſalium obligatio acquiſita erat, in nulla metus culpa fuit: parentes quippe puellæ illi metum incuſſerunt. Quare ergo abſque culpa puniendus eſt, ut jus per ſponſalia acquiſitum deperdat? Quod abſurdum ut vitetur, ſupplenda eſt littera textus, & intelligenda, ut in ipſis etiam ſponſalibus metus intercesſerit. Et licet vis inferatur litteræ, id patiendum eſt, quo vitetur abſurdus intellectus: ut dixi l. 3. d. 39. n. 6.

4 II. Concluſio: metus levis non irritat ſponſalia. Prob. quia irritatio eſt de jure humano, at *c. Et lites, de ſponſ. impub.* irritans ſponſalia, loquitur de metu cadenti in virum conſtantem. Item prob. iiſdem rationibus, quibus probavimus hoc lib. 4. diſp. 17. n. 5. matr. non irritari metu levi.

5 III. Concluſio: quamvis diceremus, ſponſalia metu viri conſtantis inita eſſe valida: poſſet coactus propria authoritate ab eis reſilire. Cum enim actionem habeat ad petendum a judice reſciſſionem, poterit propria authoritate utendo ea exceptione, nolle his ſtare. Cui enim competit actio, eidem competit exceptio, etiam in foro conſcientiæ, & ante judicis ſent. (ut dicemus l. 6. d. 38. n. 34.) Unde dicendum eſt, hunc teneri ad ea ſponſalia, niſi uti velit eo exceptionis beneficio: (ut ibi etiam in alio ſimili dicemus.) Præterea, quia alter, qui libere conſenſit, tenetur ſponſionem coacto remittere, quamvis ipſe minime metum intulerit. Sicut probavimus hoc 4. l. d. 8. n. 7. poſſidentem rem metu gravi ab alio extortam, teneri reſtituere: ergo coactus quia quaſi compenſationis utens, poteſt reſilire a ſponſalibus, ſicut ſi nondum rem metu extortam tradidiſſet, vel poſtea occulte accepiſſet, poſſet retinere.

6 Hinc infertur contrahentem ſponſalia metu levi, poſſe ſimiliter propria authoritate reſilire. Quia quamvis in foro externo non competat actio, nec exceptio, competit tamen in foro conſcientiæ, ſicut dixi hoc 4. lib. diſp. 9. n. 6. obnoxia eſſe reſtitutioni in foro conſcientiæ extorta metu levi, quamvis poſſidens culpa vacaverit: ergo poterit ea exceptione utens, & via compenſationis non implere fidem eo metu levi extortam, quam alter in foro conſcientiæ remittere tenebatur.

7 Ad arg. propoſita nu. 1. conſtat ex dictis reſponſio: non enim cenſentur irrita ſponſalia metu coacta, ex eo quod irritatur matr. ut probant 2. priora argum. Et quamvis textus ea irritans videatur loqui, quando vi præciſa contracta ſunt: ut jam probavimus, n. 2. de metu intelligi.

DISPUTATIO XX.

An matrimonium contractum metu cadenti in virum conſtantem, confirmetur juramento, aut ſaltem ex juramenti vinculo conſurgat aliqua obligatio ratificandi illud matrimonium, aut petendi relaxationem juramenti?

SUMMARIUM.

Quot ſint quæſtiones diſputandæ, num. 1.
Certum eſt juramentum metu extortum non firmare contractum, & in quo diſtet juramentum firmare contractum, vel non firmare, indigere tamen relaxatione, 2.
Refertur 1. opinio, juramentum metu gravi extortum adjectum contractui, qui ſecluſo juramento eſſet invalidus, non indigere relaxatione, num. 3. Et ibi juramentum non ſupplet duo vitia.
Verior ſententia obligare juramentum, donec relaxetur, 4.
Solvuntur arg. & explicatur c. Quamvis pactum, de pactis in 6. & auth. Sacramenta puberum, C. ſi adverſ. vendit. n. 5.
Poſt quem invenies alia ſummaria.

1 Quæſtio hæc valde difficilis eſt, & duplicis difficultatis intelligentia indiget. Et ideo quadruplex eſt diſputanda qu. I An quoties actus invalidus, jureque reprobatus, firmandus eſt juramento, debeat illud ſponte, & metu ſecluſo præſtari? II. An id juramentum metu quamvis levi extortum, poſſit per Epiſcopum relaxari? III. An matr. metu contractum, reddatur validum juramento? IV. An ſaltem id juramentum relaxatione egeat?

Quæſtio I. An ut contractus invalidus, jureque reprobatus confirmetur juramento, ſit illud ſponte, & ſecluſo metu præſtandum? Supponendum eſt, quod late diximus l. 1. diſp. 32. n. 3. & triplici ſeq. aliud eſſe contractum firmari juramento: & aliud non firmari, ſed juramentum obligare, indigereque relaxatione: ibique quot ſint inter hæc differentiæ, explicui. Certum eſt juramentum metu gravi extortum, minime confirmare contractus alias invalidos; ut clare probant *textus n. ſeq. pro priori ſent. allegandi.* Difficultas autem in eo verſatur, an tale juramentum obliget, indigeatque relaxatione? 2

Duplex eſt ſent. I. ait non obligare, & proinde nulla indigere relaxatione: probatur ex *c. Quamvis pactum, de pact. in 6. & c. 2. de jurej. in 6. & c. Cum contingat de jurej.* in quibus eſt ſermo de renunciatione legitimæ, & alienatione fundi dotalis, quæ pacta ſecluſo juramento ſunt irrita, & tamen juramento accedente, decidunt hi textus ſervanda eſſe, ſi tamen juramentum abſque vi, & dolo præſtitum ſit: ergo a contrario ſenſu, ſi metu extortum ſit, nullam vim habebit. Et confir. quia ibi æquiparatur juramentum metu, & dolo præſtitum, at quando dolus dat cauſam contractui bonæ fidei, juramentum defectu conſenſus non obligat: ut tradunt omnes: ergo nec quando metus intercedit. 2. Prob. ex *auth. Sacramenta puberum, C. ſi adverſ. vendit.* ibi, *per vim autem, vel juſtum metum extorta, etiam a majoribus, nullius eſſe momenti jubemus.* At ſi indigerent abſolutione, eſſent alicujus momenti, & operarentur obligationem, dum non relaxantur. 3. Prob. quia juramentum unum plura vitia ſupplere minime poteſt, ut aliis relatis tradunt *Menoch. conſ. 29. n. 40. vol. 1. Seraphinus de privil. juram. privil. 83. n. 44.* Sed in hoc eventu concurrit duplex vitium, alterum defectus ſpontaneæ voluntatis, alterum valoris contractus, qui alias erat irritus: ergo non ſufficit juramentum hoc metu extortum. Et confir. quia ea ratione juramentum præſtitum a minore, ſponte, tantum ſupplet defectum minoris ætatis, hoc eſt, tantum confirmat contractum, eo caſu quo erat nullus defectu minoris ætatis, ut tradunt multi quos refert, & ſequitur *Gut. auth. Sacramenta puberum. C. Si adverſus vend. n. 31. & ſeq.* Et ideo hanc ſent. dicentes tale juramentum in hoc caſu minime obligare, nec indigere relaxatione ſuſtinent *Vincentius*, quem refert, & ſequitur *Abb. c. Cum contingat, de jurej. n. 3. & ibi Alciat. n. 8. Franc. c. Quamvis pactum, de pact. in 6. n. 3. & 11. verſ. Quarto caſu, & c. 2. de jurejur. in 6. n. 6. Felin. c. Præterea, n. 35. de ſponſ. verſ. Tertius eſt, & c. Si vero, n. 8. caſu 1. & cap. 2. n. 2. de jurej. Grammaticus dec. Neap. 103. n. 70. D. Ant. 2. p. t. 10. cap. 6. § Quintus caſus eſt, Hippol. de Marſiliis, l. pen. n. 76. ff. de quæ. Angel. Juramentum 5. n. 10. Greg. Lop. l. fin. verb. Que lo fizo, fin. t. 11. p. 6. Sarmiento de redd. p. 1. c. 4. n. 7. Roland. conſ. 10. n. 130. vol. 4. conſ. 2. n. 80. 81. vol. 1. Petr. Greg. ſyntagm. juris, p. 3. l. 5. c. 12. num. 4. Flam. de reſign. benef. l. 13. q. 2. n. 12.* Et hanc ſententiam ajunt poſſe teneri, *Card. c. Cum contingat. n. 1. verſ. in gl. penult. de jurejur. & Ruin. conſ. 170. n. 18. vol. 1.* Et eſt probabilis. Et in praxi apud judices ſæculares eſt recepta, ut teſtatur *Cov. pro 2. ſent. n. ſeq. allegandus.* 3

II. Sententia (quam probabiliorem exiſtimo) ait, juramentum appoſitum in contractibus, qui alias invalidi erant, quamvis metu gravi extortum, ſit obligationem parere, indigereque relaxatione. Prob. ex ratione expreſſa *textus in c. Quamvis pactum, de pact. in 6. & c. Cum contingat, de jurejur.* ubi ideo juramenta in alienatione fundi dotalis, & contractibus minorum, alias invalidis, ſervanda eſſe decernitur: quia ſervari poſſunt, ſine diſpendio ſalutis æternæ, ſed eadem prorſus militat ratio, ſive juramentum ſponte, ſive metu præſtitum ſit, cum utroque caſu ejus obſervatio nullam inducat culpam: ergo in utroque caſu obligat. Et confirmatur, quia ſi juramentum metu præſtitum non valeret in his contractibus, aut proveniret ex jure improbante contractum: & hoc non, quia tales contractus erant jure civili improbati, qua improbatione minime obſtante, eis juramentum accedens, validum erat. Aut provenit ex metu: & hoc etiam non, quia metus non impedit vinculum juramenti, *c. Verum, & c. Si vero, de jurejur.* Aut provenit ex utroque: & hoc etiam non, quia nullum reperitur jus irritans tale juramentum: ut conſtabit ex ſolutionibus argumentorum. Item, quia ratio, cur juramentum inique extortum obligat, eſt, quia obligatio acquiritur Deo, ne divinum ejus nomen in falſum teſtem adducatur, *c. Debitores, de jurej.* ſed eadem omnino ratio procedit, ſive juramentum ſponte, ſive metu præſtitum ſit in his contractibus invalidis: ergo utroque caſu juramentum obligat. Hanc tenet *Jo. Monachus c. Quamvis pactum, de pact. in 6. n. 2. & ibi Archid. n. 1.* dicit hanc eſſe rationem. Eamdem tenet *Domin. ibi n. 10. Nata ibi ſuper gl. verb. non vi, Bald. c. 2. de jurej. n. 1. & l. Pactum dotale, n. 1. q. 1. C. de Collatio, Ant. c. cum conting. de jurejur. n. 3. Card. n. 1. verſ. In gl. pen Immola n. 3. Alex. de Nevo n. 8 Corneus auth. Sacramenta puberum col. penult. & fi. C. Si adverſ. vend. & ibi Paul. n. 4. & 5. Matth. de Afflict. dec. Neapol. 332. n. 6. junct. n. 5. & dec. 393. n. 11. junct. n. 10. Fort. de ult. fin. illat. 22. n. 467. & 483.* habetur *1. tom. tr. novior. Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 5. n. 2. & c. Quamvis pactum, 3. p. §. 4. n. 2. & l. 1. var. c. 4. n. 7. Ant. Cucus l. 5. inſtit. maj. t. 12. n. 126. Molina l. 2. de prim. c. 3. n. 13. junct. n. 11. Gutt. de juram. 1. p. c. 57. n. 19. Seraphinus de privil. juram. priv. 110. num. 8. P. Molina tom. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 149 fol. 841. §. Quatuor juribus.* 4

Ad argumenta prioris ſent. propoſita n. 3. reſpondeo. Ad 1. 5

textu s

textus illos decidere, contractus minorum, & alienationem fundi dotalis confirmari juramento, nec locum eſſe illius relaxationi: quod important verba illa poſita *d.c.Quamvis pactum, omnino ſervari debet*: ut ibi expendunt *Domin* 4. *& Franc.n.*3. unde dum excipiunt, niſi juramentum metu præſtitum ſit: exceptio illa tantum denotat, quando juramentum metu preſtitum eſt, minime habere vim confirmandi contractum, & efficiendi illum irrevocabilem: facile enim revocabitur obtenta juramenti relaxatione, quæ in eo eventu concedi poteſt: unde minime probant ii textus; juramentum invalidum eſſe. Ad confirm. reſpondetur, non æquiparari dolum, & metum, quoad omnia, ſed quoad hoc tantum, quod juramentum dolo, vel metu præſtitum, non confirmat contractum, & poteſt relaxari: hoc enim tantum decidere intendunt illi textus, nec tractarunt, an juramentum ſit obſervandum, nec ne: ſed id aliis juribus deciditur: unde cum *d.c.Verum*, *& c.Si vero*, tradatur regula generalis, juramenta metu extorta obligare, dum non vergunt in diſpendium ſalutis æternæ, dum non relaxantur, illis ſtandum eſt. Neque obſtat juramentum dolo extortum, quando dolus dat cauſam contractui, eſſe irritum: quia talis error conſenſum aufert, in metu autem adeſt conſenſus. Juramentum autem abſque conſenſu non obligat: & ideo dolus impedit ejus obligationem, quam tamen minime impedit metus. Ad 2. dico nihil omnino probare. Quia agit de contractibus majorum, & minorum, & ita de juramento metu extorto, tam in contractibus validis, quam invalidis. Quare communis ſolutio habet authenticam illam correctam eſſe jure canonico, *c.Verum*, *& c.Si vero*, *de jurej.* in quantum decernit juramenta metu extorta nullius eſſe momenti. Et cum materia juramenti ſit ſpiritualis, in ea, juri canonico ſtandum eſt, *c.2.de jurej.in 6.* Vel 2. dic cum *Fortunio de ult. fi.illat.22.n.463. cum ſeq.* intelligi *authentica illam*, ut juramentum metu extortum nullius ſit momenti, quoad obligationem homini acquiſitam: Ea enim ex tali juramento non acquiritur: ut dixi lib.1.d.32.n.1. Secus autem quoad obligationem acquiſitam Deo: de qua jus civile nil diſponit, ne mittat falcem in meſſem alienam. Ad 3. fateor, non ſupplere defectum ſpontaneæ voluntatis, illud juramentum: qua ratione non confirmare contractum, ad quod ſpontanea voluntas deſideratur: quæ tamen minime neceſſaria eſt, ut juramentum obliget. Ad confirm. conſtat ex proxima ſolutione. Quia jam fatemur juramentum non ſupplere duplex vitium.

SUMMARIUM.

Quando verſatur turpitudo in recipiente, ut in juramento metu gravi extorto poteſt Epiſcopus relaxare, & impletur momentanea ſolutione, & poteſt ſtatim abſque relaxatione, res ſoluta repeti, n.6.
An idem ſit in metu levi: refertur opinio negans, num.7. & contraria, 8.
Opinio authoris, n. 9. Ubi an id juramentum poſſit per diplomata relaxari.
Solvuntur arg. n. 10. poſt quem invenies alia ſummaria.

6 QUæſtio II. An ſi quis metu levi cogatur jurare, poſſit obtinere juramenti relaxationem ab Epiſc. & ſi ſolvat, poſſit abſque juramenti relaxatione repetere? Supponendum eſt, quando verſatur turpitudo ex parte recipientis, quia tenetur jure naturali, & divino rem acceptam reſtituere, ut contingit in juramento ſolvendi uſuras, vel metu gravi extorto poſſe Epiſcopum ante ſolutionem relaxere juramentum, & abſque tali relaxatione poſſe rem ſolutam ſtatim repeti. (Ut probavi l.1.d.32.n.6.7.& 15.) Conſiſtit ergo difficultas, an idem dicendum ſit quando metus eſt levis?

7 Duplex eſt ſent. Prima negat poſſe relaxari. Prob. ex *c.Si vero de jurej.* ibi: *ſi vere aliquis quemquam graviſſimo metu*: & *c.Verum eo t. ibi*, *verum in ea qu. quæ quinto loco ponitur*, *an a ſacramenti vinculo abſolvantur*, *qui iſtud inviti pro vita*, *& rebus ſervandis fecerunt*. In quibus textibus ponderatur metus viri conſtantis, ut concedatur abſolutio. 2. Quia metus levis non reputatur in jure metus, nec tollit ſpontaneum conſenſum, (ut dixi hoc 4.l.d.17.n.3.) Sic tenent *gl. c.Verum*, *verb. Inviti*, *de jurej. & ibi Ant.n.5.Innoc.c.Ad aures*, *n.1. de his quæ vi*, ubi, *Hoſt.ad fi.ſuper verb.Confirmata*, *& ibi Jo:And.n.7.& 10.& Ant.n.9.Arch.ad fi.Card.n.3.q.1.Abb.c.penult.n.10.de his quæ vi*, *& c.Cum contingat*, *n.21.vel Verſus caſus*, *de jurej.Felin.a. 2.n.3. de jurej.Immola d.c.Si vero*, *n.4.Ang.Juramentum*, 5.*n.*10. *Sylv.Juramentum*, 4.*q.7.fi.Greg.Lop. l. fin verb.Que la fizo*, *t.*11. *p.*3. Et hanc ſent. dicit in pratica tenendam, *Corneus repet. auth.Sacramenta puberum*, *n.*12. *C. Si adverſus venditionem.*

8 II. Sent. docet, concedendam eſſe relaxationem ab Epiſcopo, etiam quando metus eſt levis. Prob. quia non eſt juſtum ex dolo ſuo, extorquentem juramentum reportare commodum, *c.Ad noſtram*, *de empt.& vend.& c.Tuæ*, *de clericis non reſident.*2. ex *c.Sollicite*, *& c.Accepta*, *de reſt.ſpol.* ubi ponderatur: juramenta eſſe ſponte, & non vi, aut metu præſtita: & eodem modo *auth.Sacramenta puberum*, *C.Si adverſus vend.* at quando metus eſt levis, non præſtatur ſponte juramentum. Hanc tenent *Hoſt.c.Verum*, *de jurej.init.ſuper verb.Inviti*, *& ibi Jo: And.n.6.Abb.n.3.Alex. de Nev. n.7. & 8. D.Ant.2.p.t.10.c.9.§. Quintus caſus*. Et hanc dicit veriorem in puncto juris, *Corneus repet.d.auth. Sacramenta puberum*, *n.*12. & eam ſequitur in foro conſcientiæ, *Cov.reg.Peccatum*, 2.*p.*§.3.*n.7.init. Lud. Lop.l.2. de contract.c.*17.§.*Quod ſi hæc ſententia.*

9 Sit concluſ. Quamvis in foro externo minime concedatur juramenti relaxatio, ubi metus eſt levis: eo quod non conceditur reſciſſio contractus tali metu initi. At in foro conſcientiæ dicendum eſt, concedendam eſſe relaxationem ab Epiſcopo, nec id juramentum confirmare contractum, implerique momentanea rei ſolutione, poſſeque ſtatim abſque juramenti relaxatione repeti: & poſſe per diplomata, vel privilegia relaxari, caſu quo poſſent exiſtente metu gravi de quo dixi l.1.d.32.n.17. Et ratio eſt, quia ſicut metu gravi adeſt turpitudo in recipiente, ita etiam quando metus eſt levis, & talis ut jure naturali obliget in foro conſcientiæ ad reſtituendum, ut probavi hoc l.4.diſp.n.4.

10 Ad utrumque arg. prioris ſent. propoſitum, n.7. dic probare in foro externo non concedi eam relaxationem.

SUMMARIUM.

An matrim. metu contractum, reddatur validum juramento, refertur opinio affirmans, n. 11. *Et contraria verior*, 12.
Solvuntur arg. & explicatur c. Inter cetera, 22.*q.*4.*n.*13.
Poſt n. 13. *invenies alia ſummaria.*

11 QUæſtio III. An matr. metu contractum, ſi firmetur juramento, reddatur validum? Aliqui [ut refert *Ricard. d. 29.art.2 q.3.*] dicunt ratificari, ſaltem in foro conſcientiæ: & *ipſe Ricard.* videtur ſentire id eſſe probabile, ſubdit enim alios dicere probabiliter non ratificari, & prob. hec ſent. ex *c Inter cetera 22.q.4. quod eſt D.Aug.* ibi, *quæſivi quid tibi agendum ſit de Ubaldo, qui captus, & timore necis impulſus, ſuæ concubinæ juramento firmavit ipſam in conjugem ſuſcipere, quia vero quam prius concubinam habuerat, non eſt peccatum in conjugem ſuſcipere, matrimonium ſit in Deo fixum, & ſtabile*. Ergo matr. metu coactum, ſi juramento ſtabiliatur, efficietur validum. 2. Quia renunciatio electionis metu facta, eſt invalida, & renunciatio legitime, at ſi juramento ſtabiliantur, fiunt validæ: ut de renunciatione electionis conſtat ex *c.Ad aures*, *de his quæ vi*: & de renunciatione legitimæ, conſtat ex *c. quamvis pactum*, *de pactis*, *in 6.* Ergo ſimiliter quamvis matrimonium metu contractum ſit invalidum, ſi accedat juramentum, erit validum.

12 Ceterum tamquam certum, tenendum eſt hujuſmodi matr. non effici validum juramento. Prob. ex *c.2. de eo qui duxit in matr.* ubi expreſſe habetur, eum qui poſt matr. metu contractum, & juratum, aliam duxit, permanſurum cum ſecunda, priuſque matr. fuiſſe invalidum. Et ratio eſt, quia matr metu contractum, irrictum eſt defectu liberi, ac ſpontanei conſenſus, *c.Cum locum de ſponſ.* at juramentum non ſupplet defectum, conſenſus ſubſtantialiter acquiſiti: ut notant *DD. c. fin. de procur. in 6.* Item, quia aut juratur aliquid præteritum, & tunc juramentum non poſſet efficere validum matr. præteritum, quod ratione metus irritum erat: aut juratur aliquid futurum, & tunc non poteſt efficere matr. ſed ad ſummum ſponſalia: aut aliquid præſens, ut quod conſentit jurans in id matr. & tunc eſt ſola teſtificatio conſenſus præſentis, qui eſt invalidus: ergo nullo pacto poteſt confirmare matr. Item, quia juramentum metu extortum non confirmat contractum, quia alias ſecluſo juramento erat invalidus, [ut dixi n.2.] ergo juramentum metu extortum minime confirmat matrim. invalidum eo metu contractum. Præterea, quia perſonæ ſunt inhabiles ad contrahendum durante metu, ſicut ſunt inhabiles ad contrahendum clandeſtine, ex decreto Eccleſiæ talia irritantis matrimonia, ſed per juramentum non efficiuntur habiles: ergo non poteſt confirmare illud matr. Præterea quia ſi juramentum redderet validum matr. metu contractum, Eccleſia nullum attuliſset remedium coactionibus, quod tamen maxime intendebat: nam qui compellit aliquem ad contrahendum, facillime compelleret etiam ad jurandum. Præterea, quia matr. coactum prohibetur ob publicam utilitatem, eo quod alioquin male ſervaretur pax inter conjuges, & in republica, maleque ſoboles educaretur: at contractus vetitus ob publicam utilitatem, non firmatur juramento: [ut diximus l.1.d.32.n.8.] Tamdem, quia juramentum ſortitur naturam primordialem actus cui apponitur, ſortiturque ejus conditiones, *l.fi.c. de non nu.pec.* ſed matr requirit liberum ac ſpontaneum conſenſum: ergo juramentum adjunctum matr. habet eam tacitam conditionem, ſi conſenſus liber ſit: ac proinde ubi eſt coactus conſenſus, minime confirmabitur. Et ita docent omnes, quos n. 15. referam, aſſerentes hoc juramentum, non obligare. Et præter illos, id tenent *gl.c.2.verb.Tanta*, *de eo qui duxit in matr. & ibi Ant.n.3.Abb.n.5.Alex.de Nevo n.5.& 6.Præpoſ.ibi fin.Jaſon.l.Titia*, *n.6.init.ff.de verb.oblig.Pariſius conſ.60.n.11.& conſ.62.63. vol.4.Sylveſt. matr.8.q.11. dict.8. Armil. verb. matrimonium*, *nu.41.Tabiena verb. Impedimentum*, *imped. 9. ad fin.Nevizan. conſ.46.n.3.Corduba ſum.q 171. punct.1. Ful.Pacianus de prob.l.2.c.3.n.56.Alex. Carrerius l.4. de ſponſ.c.9.* [habetur *tom.9.tr.*] *Angl.florib.1.p. materia de matr. qu.3. de conſenſ coact. a.1. diffic.3.f.548.Palac.4.d.29.diſp un.f.665.§. Porro autem.*

13 Ad arg. propoſ. n.11. reſp. Ad *c.Inter cetera*, *gl.ibi*, *verb. matr.* varias aſſignat ſolutiones. I. Eſt metum fuiſse levem, eo quod non erat veriſimile mortem comminantes, eam illaturos. Eodem modo ſolvit *Gloſſ. c.2. de his quæ vi verb. Coactus*

& ibi Ant.n.7.fi.Abb. ibi n.8.fin. Sed nullo modo placet mihi hæc ſolutio: quia dixit textus, *timore necis*, & aſſignat rationem, *quia non eſt peccatum contrahere cum illa*. Quæ ratio etiam procedit in metu gravi. 2. Solutio eſt, ut intelligatur textus, quando poſt matr. illud, commixti ſunt carnaliter: juxta *c.Veniens*, *el 2. de ſponſ. & c. 2. de eo qui duxit*. Sic explicat *Gl. Inter cetera*, *verb. matr.* Sed minus placet hæc ſolutio: quia abſque aliquo fundamento divinat interfuiſſe copulam. Item quia tunc impertinens eſſet ratio, quam textus aſſignat, ibi, *quia vero quam prius concubinam habuerat*, *non eſt peccatum in conjugem accipere*. Nam eſſe peccatum, nec ne, nihil confert ad matrimonii valorem. 3. ſolutio eſt, ut loquatur conſulendo, non præcipiendo. Sic *Gl.eod.verb.matr.& d.c.2. vero Coactus*, ubi *Ant.n.7.fine*, & multi alii. Sed ſimiliter diſplicet. Quia ea verba, *matr. ſit in Deo fixum*, *& ſtabile*: non videntur eum ſenſum habere: & ſæpe non eſt ſanum conſilium concubinam ducere. 4. ſolutio eſt, *utriuſque gl.ibid. Ant.eod.n.7.& Abb.eod.*8. metum non fuiſſe probatum. Sed vaticinantur, nullaque probabili conjectura ducuntur: nec ratio in textu tradita congruit. Ideo vera expoſitio eſt quam tradit *Fortunius de ult.fin.illat.21.n.407.* nec in *cov. Inter cetera*, nec in *tota ea q.* tractari, an valeant geſta per metum ſed tantum, quæ juramenta licita ſint, & ſervanda. Ut conſtat ex *ſumma illius qu. poſita in princ.* & ibi D. Aug. conſultum fuiſſe de Ubaldo, qui metu coactus a conſanguineis ſuę concubinæ, juramento ſpopondit ſe eam ducturum, ac negaturum neceſſaria alimenta matri, & fratribus: non fuit ergo dubitatum de valore matrimonii, ſed an juramentum fuerit licitum. Quare dum inquit, *matrimonium in Deo ſit fixum*, *& ſtabile*: intelligit juramentum illud contraendi matr. licitum eſſe, & obſervari poſſe: at juramentum illud contrahendi matrimon. licitum eſſe, & obſervari poſſe: at juramentum negandi alimenta, non eſſe juſtum: Et hæc expoſitio conſtat ex ratione, quam ſubdit *D. Aug.* ibi, *quia vero quam prius concubinam habuerat*, *non eſt peccatum*, *&c.* Idem etiam confirmat *Grat.* nam *ad fin. illius c.* ſic concludit, *ſed cum his omnibus illicita juramenta non ſervanda probentur*. Vel tandem poteſt exponi is textus, ut dum *D. Aug.* ait, *matr. ſit fixum*, *& ſtabile*, non loquatur aſſertive: ſed ex hypotheſi, quaſi dicat eſto daremus id juramentum confirmare matr. & obligare, non ſequitur juramentum negandi parentibus alimenta obligare: quia illud eſt de re licita, hoc autem de illicita. Ad 2. arg. negatur conſequentia, quia illi contractus prohibentur propter privatam utilitatem: at matr. ob publicam. Item licet alii contractus irritentur, at perſonæ non redduntur ad contrahendum inhabiles: unde mirum, ſi per juramentum poſſint confirmari: at matr. coactum irritatur, & perſonæ redduntur inhabiles ad ſic contrahendum, & ſic nullo poteſt confirmari juramento.

SUMMARIUM.

An juramentum adjectum matrimonio, metu gravi inito, obliget, indigeatque relaxatione: refertur opinio affirmans, nu. 14. *& contraria, n.*15.
Proponuntur caſus, in quibus in dubium verti poteſt valor juramenti: & argumenta ad probandum valere tunc, ut ſponſalia, 16.
*Juramentum per verba de præſenti adjectum matrimonio coacto, non obligat, nec eget relaxatione, n.*17. *Nec conſurgit inde ſponſalium obligatio*, 18.
*Si apponatur per verba de futuro, ut de non contraveniendo illi matr. non obligat, n.*19. *Et quid, ſi de eo rato habendo novo conſenſu, n.* 20. *Solvuntur arg.* 21.

14 QUæſtio IV. An juramentum adjectum matr. metu gravi extorto, obliget, relaxationeque indigeat? Sicut juramentum ſolvendi uſuras non confirmat contractum, obligat tamen, donec relaxetur: (ut diximus l.1.d.32.n.12.) Duplex eſt ſent. I. ait obligare, indigereque relaxatione. Prob. quia id juramentum non eſt contra bonos mores, ut conſtat ex *c. inter cetera*, 22.*q*4. ergo eſt ſervandum: juxta regulam traditam, *c.Cum contingat de jurej.* Et confirm. quia hac ratione juramentum ſolvendi uſuras ſervandum eſt, *cap. Debitores*, *de jurej.* Sic docent *Ant. c. 2. de his quæ vi fin. & ibi Abb.n.8.fi. & ibi Immola fi.* dicit hoc eſſe tutius. Idem docent *Archid.c.Inter cetera*, *22.q.4.verſ. in gl. argum. & ibi Turrecr. in fine*, ubi dicunt in eo textu actum jurandi fuiſſe unum, at promiſſa juramento duo: alterum ducendi concubinam, & hoc fuiſſe illicitum, & obligaſſe. Idem tenet *Neviz conſ.46. & n.22. & 27.* Et id in foro conſcientiæ eſſe conſulendum, docent *Roſella ver. Impedimentum*, *imped.10. n.10. Sylv. matr. 8.q.11. dicto* 8. & hæc ſent. eſt probabilis.

15 II. Sent. docet, id juramentum non obligare, nec indigere relaxatione. Hanc ſent. probant *Abb.Alex.de Nevo*, *& Jaſon.* Quia id juramentum eſt contra bonos mores. Sed non video, qua ratione bonis moribus adverſetur: nullatenus enim peccat, qui ad redimendam vexationem conſentit matr. coacto, illudque jurat: (ut diximus hoc l.4.d.16.n.6.&7.) Ideo melius probatur, quia Eccleſia non tantum irritat matr. metu initum, ſed etiam juramentum tali matr. accedens. Ut colligitur ex *c.2. eo qui duxit in matr.* ubi eum, qui contracto matr. & jurato, cum una ob mortis metum aliam duxit, definitur cum ſecunda valide contraxiſſe, & libere permittendum cum ea permanere: ſi tamen Eccleſia ſentiret, velletque ejuſmodi juramentum obligare, adjungeret pro fractione juramenti imponendam eſſe aliquam penitentiam: ſicuti facit *c.Sicut de ſponſ.* ubi definit textus, priora ſponſalia juramento ſtabilita dirimi per matr. & ſubdit, *impoſita ei penitentia competenti*, *quia primam fidem irritam fecit*. Et expreſſe de juramentis metu extortis, ait Pontifex *c.Verum jurej.* violatoribus imponendam eſſe aliquam penitentiam, quamvis mitiorem. Cum ergo in noſtro caſu nulla imponatur penitentia fractori prioris juramenti, ſed libere decernatur permanſurum in poſteriori matr. ſignum eſt, Eccleſiam velle, & ſentire illud juramentum minime obligare. 2. Prob. quia quando contractus prohibetur ob publicam utilitatem, juramentum illi accedens non obligat: (ut dixi l.1.d.32.n.9.) at matr. ob publicam utilitatem prohibetur, quando metu contractum eſt. Item quia cum juramentum ſequatur naturam, & conditiones contractus, cui accedit, & matr. requirat liberum ac ſpontaneum conſenſum, juramentum illi accedens eam habet ſub intellectam conditionem, ſi conſenſus liber, ac ſpontaneus ſit: quare deficienti conditione corruit juramentum. Hanc ſent. tenent *Gl.c.2.15.q.6. verb. Abſolvimus poſt medium*, *verſ.Tu breviter dicas*, *& c.2.de his quæ vi*, *verb.Coactus*: *& ibi Hoſt.ad fin. idem gl.c.2.verb.Tanta*, *de eo qui duxit in matr. & ibi Abb.n.5.Alex.de Nevo n.5. & 6.Præpoſ.ibi fin. Felin. c Si vero*, *ad fi. de jurejur.Grammat.dec.Neap.103.n.71.Jaſon l.Titia*, *n 6.init. ff.de verb.oblig.Turrecr.31.q.2. in ſumm. nu.12.Ant. Cucus l.5. inſt. major.t.12. n.126. Alex.Carrerius l.4. de ſponſ.c.9. ad fin.* (habetur *to.9. tr.*) *Lex fin. t. 11. p.3. & ibi Greg. Lop. verb. En orden*, *Cov. 4. decr.2. p.c.3. §.5. n.3. Padilla l. Interpoſita*, *n.6. C. de tranſact. Gut. de juram 1. p.c.57.n.22.Anaſt.Germonius l.3. de ſacr. immun. c.21.num.83.Ful.Pacianus l.2. de prob. c.3. n.56. Seraph. de privil. juram. privil.110.num.11. Matienzo l.5. recop. t.1. rub.gl.1. n.120.* quamvis ſtatim ſibi contradicat, ait enim peccare, ſi cum alia contrahat ante juramenti abſolutionem: & refert pro ſe *Cov.4. decret. 2.p. c.3. §.5. num.4.* qui id minime dicit, ſed ſub conditione, ſi valeret juramentum: at *num.* 3. præmiſerat non valere. Idem tenet *Grat.reg.272.n.2.* Et ex Theologis, *Abulenſ.c.5.Matth.q.306.ad fin. Sotus 4. d.29. q.1. art.3. verſ. Alia vero*, *& verſ. & per hoc reſpondetur*, *Enriq.l.11. de Matr.c.9.n. 6.Philiarc.de offic.ſacerd.t.1 p.2.l.2. c.7. ad fin. Petrus de Ledeſ. de matr.q.47 art.3. circa 3.arg.dub.2.f.216.col.2.§. Concluſio tamen ſit*, *& §.Ad.3. arg.Arag.2.2.q.89. art.7. circa ſol. ad 3. concl 4. Barth. a Ledeſ de matr.dub.23. poſt 3.concl.Lud.Lop.2.p.inſtr.de matr.c.40. f.1065.§.Ac edit & hic: Manuel 1.tom.ſum.2.edit.c.231.n.4. & c. 244.n.4.Vega l.2.ſum. caſu* 514.

16 Hæc ſunt, quæ circa quæſt. dicunt DD. & profecto ſatis confuſe loquuntur: non enim explicant, qualiter preſtandum ſit juramentum in contractu matr. ut non indigeat relaxatione, an, ſcilicet, per verba de præſenti, an de futuro. Et ideo claritatis gratia, tres ſunt diſtinguendi caſus; tripliciter enim poteſt adhiberi juramentum in contractu matr. 1. per verba de præſenti, ut, Duco te in uxorem, & juro me ducere. 2. per verba de futuro, jurando ſe non contraventurum illi matr. coacto. 3. jurando ſimiliter per verba de futuro, ſe ratum habiturum illud matr. Quando ergo apponitur per verba de præſenti, duplex poteſt eſſe difficultas. Altera, an eſto non confirmet matr. valeat tamen id matr. & obliget tamquam ſponſalia? Ut de matr. inter impuberes inito, quod valere nequit, ut matr. decernitur *c.un.de ſponſ. impub in 6.* valere, ut ſponſalia. Et ſic valere probatur, quia juramento hæc jure ineſt virtus, ut ſi eo adjecto non poſſit valere actus, eo modo quo ſit, valeat meliori modo, quo valere poteſt. Ut cum aliis tradit *Guttier.de juram.2.p.c. 2.n.3.4. & 5.* ergo efficiet: ut id matr. valeat tamquam ſponſalia. Altera difficultas poteſt eſſe, an eſto non valeat, ut matr. nec, ut ſponſalia, ſit ſaltem juramentum obſervandum, donec relaxetur? ſicut quamvis contractus ſolvendi uſuras juramento ſtabilitus, adhuc manet invalidus, cum non firmetur juramento, at obligat juramentum, donec relaxetur: & obligare probant argum. prioris opinionis.

17 Sit ergo I. concluſio ſi juramentum apponatur matr. contracto per verba de præſenti, ut, Duco te, & juro me ducere, ſicut matr. eſt omnino nullum, ita etiam & juramentum: quare nulla relaxatione indiget. Et ita tenent DD. 2. ſententiæ allegati n.15. Et probatur ejus arg. Item, quia tale juramentum aſſertorium eſt, at ex juramento aſſertorio nulla conſurgit in futurum obligatio, ſed ſtatim eſt verum, aut falſum, & ideo in illo non habet locum relaxatio: teſte *D.Th.2.2.q.89.art.9.corp.* Hanc tenet *Fortun.de ult.fin. illat.21.n. 483.* habetur 1. *vol. tr. noviorum.*

18 II. Concluſio ex tali matr. metu contracto, & jurato per verba de præſenti, nulla conſurgit obligatio etiam ſponſalium. Prob. quia jus reſiſtit tali contractui, irritavitque juramentum (ut probavi num.15.) Item, quia tam matr. quam ſponſalia, ut valeant, requirunt liberum conſenſum: ut [probavi diſp. præc. n.2.&3.] ergo cum hic deficiat liber conſenſus, nec valebit, ut matr. nec ut ſponſalia. Tamdem, quia matrim. clandeſtinum nec obligat ut matr. nec ut ſponſalia, [ut diximus l.1.d.20.n.4.] eo quod jus tali contractui reſiſtit: ergo cum ſimiliter reſiſtat matr. per metum extorto, idem dicendum eſt. Ita *Enriq. l.11. de matr.c.9.n.6.*

19 III. Concluſio: ſi juramentum adjiciatur contractui matrim. coacti,

coacti, per verba de futuro, ſi ſit juramentum de non contraveniendo illi matrimonio, abſque novo conſenſu, & ratificatione illius, non obligat, nec relaxatione indiget. Quia eſt contra bonos mores, & culpa lethalis, uti matrimonio nullo, quale eſt illud metu initum: nec convaleſcere poteſt abſque novo conſenſu.

20 IV. Concluſio: ſi juramentum ſit de futuro, nimirum, de non contraveniendo, ſed de rato habendo illo matrim. novo conſenſu libero: tunc perinde eſt, ac jurare ſe denuo contracturum matrim. Et hujus deciſio pertinet ad diſputationem ſequentem, ubi diſputabimus, an ſponſalia metu contracta juramento firmentur? Sic enim juramentum præſtare, eſt ſponſalia jurare.

21 Ad arg. 1. ſent. propoſitum n.14. & confirm. dic, ſi juramentum ſit per verba de præſenti; etiamſi non ſit contra bonos mores, nullam ex eo oriri obligationem, nec in eo habere locum relaxationem. Unde illud axioma, juramentum, quod non eſt contra bonos mores, obligat, intelligitur in juramento promiſſorio, (ut explicui nu. 17.) Si autem juramentum ſit de futuro, ſi eſt de non contraveniendo abſque novo conſenſu, dic eſſe contra bonos mores: ut probavi n. 19. Si autem cum novo conſenſu, dicam diſputatione ſequenti. Ad argum. propoſitum nu. 16. ad probandum valere ut ſponſalia, reſpondetur dupliciter. Primo, habere juramentum illam vim, quando jus non reſiſtit contractui omnino illum irritanti: ſicut etiam contingit in matrimon. clandeſtino, qua ratione etiam accedente juramento non valet, ut ſponſalia: ut dixi lib. 1. diſp. 20. num. 4. Secundo reſp. id verum eſſe, quando altero modo poteſt valere; at matrim. coactum non poteſt etiam ut ſponſalia valere. Quia metus utrumque contractum vitiat, ut dixi hoc 4. lib. diſp. 19. num. 3.

DISPUTATIO XXI.

An ſponſalia, metu gravi contracta, valida ſint, ſi juramentum accedat; vel juramentum ſaltem obſervandum ſit, donec relaxetur?

SUMMARIUM.

Ea ſponſalia non firmantur juramento, & ideo licet valida eſſent, poſſet Epiſcopus relaxare, num. 1.
An juramentum tale indigeat relaxatione, refertur opinio affirmans, n. 2. Et contraria, 3.
Quando metu levi ineuntur ſponſalia, an firmentur juramento, vel illud poſſit ab Epiſcopo relaxari, nu. 4. Et quid, de juramento accedenti promiſſioni dotis, vel arrharum conſtitutioni procuratoris, voto, vel profeſſioni metu factis? refertur opinio negans juramentum obligare, num. 5. Et ſententia authoris, 6.
Solvuntur argumenta, n. 7. Et ibi, an ſemper juramentum, quod non eſt contra bonos mores, obliget, & indigeat relaxatione.

1 PRæmittendum eſt, aliud eſſe quærere, an talia ſponſalia firmentur juramento? Et aliud, an tale juramentum obliget, donec relaxetur? (Ut dixi diſp. præc. nu. 2.) Et quidem, ſi teneamus ſponſalia metu contracta eſſe invalida, ut tenuimus hoc 4. lib. d. 19. n. 3. manifeſtum eſt, non effici valida accedente juramento. Quia juramentum metu extortum cum non confirmet contractum, relinquit illum in priſtino valore, aut nullitate: (ut diximus eadem diſp. præc. n. 2.) Quare ex illis nulla orietur publica honeſtas. Et eſto diceremus, ea ſponſalia valere, dicendum eſſet non confirmari juramento, & poſſe peti relaxationem juramenti ab Epiſcopo, eaque conceſſa, contra talia ſponſalia veniri: prout poterat ſecluſo juramento. Sicut generaliter docuimus de juramento metu extorto, lib.1.d.32.n.6.

2 Specialis autem difficultas in eo ſita eſt, an id juramentum obliget, relaxationeque indigeat, ſicut juramentum ſolvendi uſuras? Duplex eſt ſententia. Prima ait id juramentum obligare, indigereque relaxatione. Prob. quia id juramentum non vergit in diſpendium ſalutis eternæ, poteſt enim ſervari abſque omni culpa, maxime cum ad redimendum propriam vitam, licitum ſit obligare ſe ad contrahendum ergo obligat, juxta regulam traditam *c. Cum contingat, de jurejur.* & *c. Quamvis pactum, de pactis, in 6.* Et confirmatur, quia jurans ſolvere uſuras ad redimendam vexationem, cum minime peccet obſervando juramentum, tenetur illud obſervare juxta *c. Debitores, de jurejur.* quamvis id juramentum non confirmet contractum, ut dixi diſp. præced. nu. 2. 2. Probatur: quia minor conſenſus requiritur ad valorem ſponſalium, quam ad valorem aliorum contractuum: nam illa valent inter ſeptennes, hi autem non defectu debitæ diſcretionis ad conſentiendum, ſed in aliis contractibus metu extortis valet juramentum, & illos confirmat: ergo ſimiliter eſt dicendum de ſponſalibus. Minor conſtat ex *cap. Verum.* & *c. Si vero, de jurej.* Hanc ſent. ultra DD. quos retuli diſp. præced. nu. 14. aſſerentes juramentum additum matrim. coacto, obligare ad contrahendum: idem enim a fortiori dicent in ſponſalibus, defendunt tamquam probabilem problematice *Ricard. 4. d. 29. art. 1. q. 2. Palud. ibi, q. 1. toto art. 5.* Et tenent *D. Bonavent. 3. d. 39. art. 3. q. 2. fin. Sot. l. 8. de juſt. q. 1. art. 7. in ſolut. ad 3. in 2. memb. reſponſ. fin. ante §. In 3. membro, col. 18. Enriquez l. 11. de matrim. c. 9. num. 6. Barth. a Ledeſm. dub. 23. de matrim. poſt 3. concluſ. f. 1353. Palacios 4. d. 29. diſp. unic. ante verſ. Porro autem, & in ipſomet verſ. fol. 665. Petrus de Ledeſm. de matrim. quæſt. 47. art. 3. dub. 3. quod movet circa 3. art.* Et *Aragon.* dicit eſſe probabiliſſimam, *2. 2. q. 89. art. circa ſolut. ad 3. §. Sed ultra hæc ſunt alia duo, in fine, fol.* 1079. Et eam tenent ex juriſperitis, *Sylv. verb. ſponſalia, qu. 6. fine, Fortunius de ult. fine, illatione 21. num. 413. & 483.* (habetur 1. *tom. tract. noviorum.*) Et eſt ſatis probabilis.

II. Sent. ait tale juramentum minime obligare, & ita non indigere relaxatione. Prob. 1. quia *c. Ex litteris, de ſponſ. impub.* per quem irrita ſunt ſponſalia metu contracta (ut probavimus hoc 4. lib. diſp. 19. n. 2.) expreſſe loquitur de ſponſalibus juratis, ut patet ibi, *ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod puella quædam anno 12. jurata fuit, & deſponſata cuidam puero.* Et *Alex. de Nevo, ibi n. 5.* explicat interveniſſe juramentum, quamvis *Innocentius ibi fine*, id neget. 2. Prob. quia dum contractus aliquis ob publicam utilitatem prohibetur, ſi juramento ſtabiliatur, juramentum nullam parit obligationem, nec relaxatione indiget: ut probavimus lib. 1. diſp. 32. n. 9. ſed ſponſalia coacta, quæ ſunt initium matr. prohibentur ob publicam utilitatem, ſicut & ipſum matr. coactum: oriuntur enim inde ſeditiones inter conjuges, ac in republica, male conſulitur prolis educationi: ergo juramentum illis accedens, minime obligat. Et ſic *Ricard. & Palud. citati pro 1. ſent. num.* 2. quamvis problematice utramque partem defendant, at in hanc ſententiam magis inclinare videntur, cum eam in ultimo loco conſtituant. Eamdem tenet quamvis ſub aliquo dubio, *Cajet. ſum verb. Perjurium, c. 2. de perjurio promiſſorio, ad fin. §. Caput, 3.* ubi hæc inquit: juramentum metu extortum de contrahendo videtur relaxatum ipſo jure, at tutius eſt relaxationem petere. Eamdem videtur tenere *D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 18. §. 1. fin.* ubi tantum dicit tutius eſſe, ut petatur relaxatio. Eamdem debent tenere *omnes DD. num. 5. citandi*, qui aſſerunt quoties actus requirit ſpontaneum conſenſum: ut in promiſſione dotis, &c. juramentum accedens non obligare. Eamdem tenent *Almain. 4. d. 29. ad fin. Sotus 4. d. 29. q. 1. art. 3. verſ. Alia vero, & verſ. Et per hoc reſpondetur, Arag. 2. 2. q. 89. art. 7. circa ſol. ad 3. concl. 4. fol.* 1078. *§. Accedit & hic alia q. Manuel 1. tom. ſumm. 2. edit. c. 231. concl. 4. num. 4. & c. 244. concl. 4. num. 4. Vega l. 2. ſum. caſu* 514. Et dicunt eſſe probabilem *Barth. a Ledeſm & Petr. de Ledeſm. citati, num. 2. pro priori ſent.* Et hæc ſent. eſt verior. 3

Monuerim tamen, quando metu levi contracta ſunt ſponſalia & juramento ſtabilita, quamvis valida ſint, ut ſecluſo juramento valida erant, juxta dicta hoc 4. lib. diſp. 19. nu. 4. at minime confirmare juramentum id, talem contractum in foro conſcientiæ: quare poteſt contrahens illis contravenire obtenta ab Epiſcopo abſolutione juramenti, juxta dicta diſputatione præced. num. 8. & 9. ubi diximus dari poſſe abſolutionem juramenti metu levi extorti, nec confirmare contractum. 4

Imo idem dicunt multi de juramento accedenti promiſſioni dotis, & conſtitutioni procuratoris, & voto metu gravi extortis, ſcilicet, non obligare, nec indigere relaxatione; quia hæc metu gravi extorta, nulla ſunt ipſo jure: juxta dicta hoc lib. 4. diſp. 12. num. 22. 23. Ita ait probabiliter dici poſſe *gloſſ. c. Inter cætera, verb. matrimon. 23. qu. 4.* Et tenet *gloſſ. verb. Abſolvimus, verſ. Tu breviter dicas, 15. qu. 6.* Idem docet in dotis promiſſione, & procuratoris conſtitutione, *Hoſtienſ. cap. 2. de his quæ vi, ad finem.* Idem docent in procuratoris conſtitutione, *Ruinus conſ. 121. nu. 27. vol. 4. & Flamin. de reſign. benef. l. 13. q. 1. nu. 49.* Et in contractibus, qui ratione metus ſunt ipſo jure nulli, eo quod in eis deſideretur, ut valeant, liber conſenſus, docent *Felin. c. Si vero, de jurejur. ad fin. & c. Præterea, num. 31. caſu 3. de ſponſ. Grammaticus dec. Neapol. 103. n. 70. Hippol. de Marſil.* quem refert, ac ſequitur *Rolan. a Valle conſ. 2. num. 80. 81. 82. vol. 1. Greg. Lop. l. fin. verb. En orden, tit. 11. p. 3.* ubi idem decidit illa Lex, in juramento accedente profeſſioni religionis, & conſignationi arrharum metu extortis. *Seraphin. de privileg. juramenti, privil. 110. num. 11. Petr. Greg. ſyntagm. juris p. 3. l. 50. c. 12. nu. 4. Philiarc. de offic. ſacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. cap. 7. ad fin. & l. 3. c. 15.* poteſt etiam probari ex ea opinione, quam diſp. præced. nu. 3. diximus eſſe probabilem, nempe, juramentum metu extortum accedens contractibus ipſo jure nullis, nil obligare. 5

Verum hoc non caret difficultate: quia, (ut diximus diſp. præced. nu. 4.) verior ſententia habet juramentum coactum accedens contractibus, qui ſunt ipſo jure nulli, obligare. Et ideo quamvis contractus detruſi in carcerem, ſit ipſo jure nullus: per *l. Qui in carcerem, ff. de eo quod metus cauſ.* at juramentum illi accedens obligare, docet *Guttier. de juram. 1. p. c. 57. num. 19.* & de juramento accedenti voto metu extorto, docet *Palacios 4. d. 29. diſp. un. f. 666. §. Hoc argumentum.* Et ideo in conſtitutione procuratoris ad matrim. credo ſi metu extorqueatur, & juramentum accedat, non obligare juramentum. Quia (ut dixi hoc lib. diſp. 12. num. 22.) ille conſenſus, quo is procurator conſtituitur, cenſetur permanere, & eſſe conſenſus quo perficitur matr. quare ſicut juramentum accedens matr. coacto, non obligat, ita neque accedens conſtitutioni procuratoris coactæ ad matr. Idem credo de juramento accedenti profeſſioni religionis, vel voto: Quia hæc videntur prohibita principaliter propter bonum commune: & quia voluntarium militem eligit Deus. De juramento autem accedenti conſtitutioni procuratoris ad alia negotia, & promiſſioni dotis, & arrharum metu extortis, credo obligare. Quia conſtitutio procuratoris ad alia negotia, metu facta, eſt valida ipſo jure: (ut cum communiori ſent. hoc 4. lib. diſp. 12. n. 22. diximus.) Conſtitutio autem dotis, & arrharum coacta licet nulla ſit ipſo jure, (ut dixi ead. diſp. 12. n. 23.) at prohibetur ob bonum privatum principaliter, parum enim intereſt reipublicæ, ſive hic, ſive ille civis dotem conſequatur, cum intra eamdem rempublicam maneat: juxta regulam traditam lib. 1. diſp. 32. n. 13. & ita juramento non firmabitur: at erit neceſſaria relaxatio: (ut dixi eadem diſp. 32. n. 12.) Si tamen in his omnibus eventibus juramentum opponatur per verba de præſenti, ut juro me promittere dotem, conſtituere procuratorem, &c. tunc juramentum nihil obligat, nec relaxatione indiget: eo quod eſt aſſertorium: ut dixi diſp. præced. n. 17. 6

7 Ad arg. prioris ſent. propoſita, n. 2. reſp. Ad 1. negando conſeq. Quia illa regula intelligitur quando juramentum non eſt contra bonos mores, nec contra publicam utilitatem: ut docet optime *Paul. auth. Sacramenta puberum, n. 8. & 9. C. Si adverſ. vendit.* Quamvis autem hoc juramentum non ſit contra bonos mores, quia poteſt abſque culpa ſervari: eſt tamen contra publicam utilitatem. Sed dices, quo pacto fieri poſſit, ut ſit contra publicam utilitatem, metu gravi contrahere ſponſalia, & culpa vacet ſic contrahens? Dic excuſari a culpa ratione metus gravis illati, cum prohibitio hæc ſit de jure humano. Sicut arma regno extrahere, ob publicam utilitatem prohibetur, at metu gravi coactus jurans ſe extracturum, nec delinqueret, nec juramenti relaxatione indigeret. Quia eſt contra bonum commune. Ad confir. dic, diverſam eſſe rationem. Nam contractus uſurarius prohibetur principaliter ob bonum privatum, parum enim intereſt reipublicæ, ſive hic civis, ſive ille pecuniam per uſuram extortam comparet: ſponſalia vero coacta, ob publicam utilitatem interdicuntur. Ad 2. diſtinguenda eſt major. Minor conſenſus requiritur ad ſponſalia, id eſt, minus liber, & ſpontaneus: nego. Minor conſenſus, ideſt, minor diſcretio in conſenſu, concedo. Rurſus falſa eſt minor, nempe juramentum metu extortum confirmare alios contractus: nam ut dixi diſp. præc. n. 2. tale juramentum non firmat contractus: eſt tamen obſervandum, quando prohibentur principaliter ob privatam utilitatem, ſecus quando ob publicam ut dixi l. 1. d. 32. n. 12.

DISPUTATIO XXII.

Utrum Pontifex aut Princeps ſæcularis poſſit ſubditos, aut pater filium cogere ad matrim.

SUMMARIUM.

Nec Pontifex, nec Princeps aliquis poteſt cogere ad matrim. poteſt tamen aliquando præcepto obligare, nu. 1.
Refertur ſententia duplex: altera dicens matr. abſque paterno conſenſu initum eſſe invalidum: & altera, eſſe reſcindendum, n. 2. Et vera ſententia, 3.
Pater non poteſt cogere filium ad matr. nec ad tale matrimonium, 4.
Intelligitur de metu viri conſtantis, nam increpatione paterna bene poteſt, 5.
Non poteſt abſque juſta cauſa impedire matr. filii, 6.
Quando adeſt juſta cauſa, nec filius tenetur ad illud matr. poteſt moderate abſque vi, & minis impedire, poteſtque exhæredationem minari, n. 7. Et ibi remiſſive, quando filius teneatur ad matr. quod pater præcipit.
An in Trid. ſeſſ. 14. de matr. c. 9. ſit excommunicatio lata in impedientes matrimonia, n. 8. Et explicatur illud c. eod. nu. 8. 9. & 10.
An incurrant eam excommunicationem parentes, ſi injuſte impediant, 9.
Quid, de Regibus, Epiſcopis, vel parochis injuſte impedientibus, 10.

1 DE Pontifice aut ſupremo Principe ſæculari, egi lib. 2. diſp. 27. per totam: ubi probavi, nullam eſſe poteſtatem ad cogendum aliquos, ut inviti matr. ineant: poſſe tamen præcepto hos obligare, ubi ad bonum commune expediret, ad idque compellere: quamvis ipſis contrahentibus invitis matr. nullo modo conſiſtere poſſit.

2 De patre autem erga filium poteſt eſſe duplex difficultas. Altera, an poſſit compellere, aut ſaltem impedire matrim. quod contra ejus voluntatem inire tentat filius: & de hac quæſt. diſputabitur in præſenti. Altera vero, an præcepto poſſit compellere filium, ut tale matr. ineat, peccetque filius contra voluntatem patris matrim. iniens, & de hac diſp. ſeq. erit ſermo. Supponendum igitur eſt, quoſdam juriſperitos affirmaſſe, non eſſe validum matr. parentibus invitis a filio initum: alios vero, eſſe validum, at poſſe reſcindi. Et poteſt probari ex *decretali Evariſti Papæ*, & habetur *c. Aliter, 30. q. 5. & ex Conc. Tolet. 3.* & habetur *c. fin. 32. q. 2. & ex Nic. Papa*, & habetur *c. Noſtrates, 30. q. 5. & ex Conc. Aurelianenſi*, & habetur *36. q. 1. c. de raptorib. & ex c. Videtur, qui matr. accuſ. poſ. & ex l. Nuptiæ, ff. de ritu nupt. & l. 1. & 2. C. de nupt. & inſtitut. de nuptiis, §. Juſtas autem*: quibus in locis videtur expreſſe definiri irritum eſſe tale matrim. vel ſaltem irritandum. Et tenent aliqui Juriſperiti, quos refert *Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 8. num. 1.*

I. Concluſio ſit: certa fide tenendum eſt, matrim. initum a filiis, abſque parentum conſenſu, eſſe validum, nec poſſe annullari. Sic enim definitur *c. Cum virum de regular. & in Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de matr.* Similiter certum eſt, non ſatis eſſe conſenſum parentum, ad ſponſalia vel matr. filiorum, niſi ipſi filii conſentiant. Unde expreſſe definitur *c. Sufficiat, 27. q. 2. & c. Ubi non eſt, 30. q. 2. & c. Tuas, de ſponſ. duorum, & c. unico, de ſponſ. impub. in 6.* Unde canones nu. præced. allegati, exigentes conſenſum parentum, intelligendi ſunt, de honeſtate. Et leges clare ſignificantes aliter matr. eſſe irritum, ſunt abrogatæ per jus canonicum. Utramque partem inter alios DD. rationibus, & Scripturæ, Sanctorumque teſtimoniis, contraria argum. ſolvens, comprobat late *Bellarm. l. 1. de matr. c. 19. & 20.* 3

II. Concluſio, non poſſunt parentes cogere filios ad matr. vel ad tales nuptias, ſed libere contrahere debent, vel alium ſtatum eligere. Sic fatentur omnes cum *D. Th. 4. d. 29. q. un. ar. 4.* ubi rationem hujus reddit. Quia in matr. eſt quaſi ſervitus quædam perpetua, & ideo cum homo libere conditionis ſit, nequit a patre ad ſervitutem hanc compelli. Quod ſi arguas, poſſe filium a parente in neceſſitate conſtituto vendi, & ita ſua libertate privari, *l. 2. C. de patrib. qui filios ſuos diſtr. l. 7. & 8. tit. 17. p. 4.* dic diſparem eſſe rationem. Quia hæc ſervitus non exigit mutuum amorem, nec eſt perpetua, poteſt enim redimi: quæ ſecus ſe habent in matrim. 4

Intellige concluſionem, de metu cadenti in virum conſtantem; poteſt enim pater increpatione paterna cogere filium ad certum matr. Quod bene explicuit *l. 10. t. 1. p. 4.* ibi, *no les puede apremiar que lo fagan de todo en todo, como quier que les puede dezir palabras de caſtigo, que lo ſtorquen*: ubi *Greg. Lop. verb. Todo*, inquit, *ideſt, metu cadente in virum conſtantem.* Sic tenet *Goffr. ſum. t. de ſponſ. impub. n. 12.* ubi hæc ait, *non poteſt pater abſolute cogere, ſed modica coactione, ſcilicet, increpatione paterna.* Idem docent *Sotus 4. d. 29. q. 1. art. 4. verſ. Quod ſi quis arguat. Bellarm. l. 1. de matr. c. 19. propoſ. 3.* 5

III. Concluſio, peccant parentes abſque juſta cauſa impedientes matr. filiorum. Quia filius ſui juris eſt circa ſtatus electionem (ut dixi n. 4.) Sic docent *Petr. de Sot. lect. 3. de matr. §. Tertio etiam, Cordub. ſum. q. 171. punct. 1. not. 2. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 44. §. Si aliquis, Vega l. 5. ſum caſu* 558. 6

IV. Concluſio, quando adeſt juſta cauſa, ut quia matrim. eſt indignum, non peccat princeps, aut pater impediens mediis ſuavibus, abſque vi, & metu. Quia hoc non eſt cogere ad matr. cum metus gravis non inferatur, nec impeditur filius, quin aliud matr. dignum ineat. Sic *Cord. Lud. Lop. & Vega nu. præced. allegati: Guttier. q. canon. l. 1. c. 20. n. 27. Salon 2. 2. tract. de dom. quem ponit poſt q 61. q. 5. art. 5. in dub. quod ibi agitat, An parentes poſſint exhæredare filios contra eorum voluntatem matrim. ineuntes, fol.* 523. bene addens, poſſe parentes comminari pœnam exhæredationis, caſu quo ſibi permiſſum eſt, ob id exhæredare. De qua re diſp. 24. agendum erit. An vero poſſit pater præcepto cogere filium? dicam diſp. ſeq. Intellige autem poſſe patrem mediis ſuavibus impedire matr. filii, quando alias non tenetur filius ad id matrim. quando enim tenetur, ut ratione fidei præſtitæ, manifeſtum eſt peccare mortaliter, impediendo. Quando autem teneatur ratione hujus fidei, toto lib. 1. uſque ad diſp. 24. egimus: & ab illa uſque in finem, quando excuſetur quis a ſponſalium impletione. Et diſp. 14. an ſit juſta excuſandi cauſa diſparitas contrahentium: & ibi, n. 4. quando poſt ſponſalia contracta, poſſit pater impedire. 7

Difficultas autem eſt, utrum in *Trid. ſeſſ. 24. c. 9. de matr.* ſit excommunicatio lata contra injuſte impedientes matrim. *Veracruz append. ad ſpec. 1. p. a. 9. concluſ. 6. f. 96. & in eod. ſpec. 1. p. a. 8. fin in 2. edit.* defendit non eſſe excommunicationem latam. Quia Tridentinum ibi tantum dicit, *ſub anathematis pœnam, quam ipſo facto incurrant*: quæ verba tantum maledictionem ſolemnem ſignificant. Præterea quia *ipſummet Trid. ead. ſeſſ. 24. c. 6. de matr.* ubi raptorem excommunicare voluit, expreſſis verbis uſum eſt dicens, *ſit ipſo jure excommunicatus.* Verum dicendum eſſe excommunicationem latam. Et ita intelligunt id decretum *Nav. ſum. Lat. c. 27. nu. 150. Hiſp. c. 38. addit. 2. fin. ad nu. 150. c. 27. Corduba ſum. qu. 171. punct. 1. verſ. Tel que al tal caſamiento Enriq. l. 11. de matr. c. 6. num. 5. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 44. §. Si aliquis.* Et probatur primo, quia anathema frequentiſſime pro majori excommunicatione uſurpatur. Ut probat *Cov. c. Alma mater, 1. p. §. 8. n. 6.* Et ex *c. fin. 3. q. 4.* conſtat idem eſſe, quod excommunicationem majorem. Item, quia per hæc verba, Anathema ſit, induci excommunicationem ipſo facto, ſuſtinent DD. non pœnitendi: ut *Felin. c. Rodulph. nu. 33. de reſcr.* & multi, quos refert *Tiraq. l. Si unquam, verb. Revertatur n. 180. C. de revoc. donat. Palac. 4. d. 18. diſp. 3. Frater Metina, l. 1. ſum. c. 11. §. 2. Ugolinus de cenſuris,* 8

ris, tabul.1.c.9.§.6 fin. & tabula 2.c.28.init.n 4. Et quamvis alii contradicant, id evenit propter verbum; *Sit*, quod eſt dubium, an ſit futuri, vel præſentis temporis: & ita an importet excommunicationem latam, vel ferendam. Quod dubitari nequit in eo decreto, cum dicat, *ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant*. Et confir. quia ſi anathema importet ibi maledictionem ſolemnem, intelligi nequit qualiter ipſo facto incurrenda ſit, cum maledictio illa ſolemniter in Eccleſia ferenda ſit. Nec obſtat fundamentum contrarium, quia diverſis nominibus utitur Conc. ad excommunicandum.

9 Utrum autem parentes injuſte impedientes matr. filiorum, incurrant eam excommunicationem? non conſtat inter DD. Quidam enim dicunt incurrere. Quia *Trid eo c.9.* generaliter de omnibus perſonis loquitur, ibi, *præcipit ſancta ſynodus omnibus cujuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant*. Sic *Lud.Lop.1.p. inſtr.c.44.§. Si aliquis, Albornoz, lib.4. de arte contractuum, t.1.* Sed dicendum eſt non incurrere. Quia decretum illud loquitur de dominis temporalibus, & aliis juriſdictionem in foro externo habentibus. Ut conſtat ex præfatione, juxta quam decretum intelligi debet, *l.fin.ff.de hæred. inſtit.* Conſtat etiam ex illa particula, *Quare*, quæ cauſalis eſt præcedentium, unde pœna præfata, ſive prohibitio extendi non debet ad alias perſonas, quas ibi non numerat: juxta *l.Interpretatione, ff.de pœnis, & c.Pœnæ, de pœnit.d.2. l. Quod vero, ff. de legib. c. Statutum, de elect. in 6.* Sic tenent *Guttier.l.1.q.can.c.20.fin.Manuel 1.to.ſum. in 2. edit. c.231.n.7. P. Molina tom.1.de juſt.tr.2.diſp.176.fol.1047.§.Ad 2. partem, Enriquez l.11. de matr.c.6. num.5. in comment. lit. C.* Et eſt communis ſententia.

10 Unde ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, ut impedientes ſubditos, habeant juriſdictionem in foro externo: quare Epiſcopus ſi cogat, incurret, ut ajunt multi Theologi, & Juriſperiti conſulti, quos refert, & ſequitur *Enriq. n. præc. alleg.* addens & bene, nec parochum impedientem incurrere. Quia caret juriſdictione in foro externo. Nec Regem, aut Imperatorem: quia oporteret exprimi: ut expreſſit idem *Trid.ſeſſ.22.c.11. de reform.* & exprimit *Bulla cœnæ*.

DISPUTATIO XXIII.

An culpam admittant filii non obedientes parentibus præcipientibus aliquod matr. inire? Vel contrahentes inſciis, aut invitis parentibus?

SUMMARIUM.

Quot ſint quæſtiones diſputandæ, num. 1.
Refertur opinio affirmans teneri filium implere ſponſalia, quæ ipſius nomine pater ſpopondit, & obedire ipſi præcipienti aliquod matr. num. 3. Et ibi, verbum, debet, quando importet præceptum.
Filius non tenetur regulariter in hoc obedire, & enodatur c. 1. de deſponſ. impub. 3.
Tenetur, quando nullum intereſt parentum, n. 4. Et quid, ſi nolit filius ſtatum matr. eligere, n. 5. Vel ex cauſa juſta revocat id matr. 6.
An teneatur in hoc caſu ad hoc matr. ex vi paterni præcepti, n. 7. Et ibi ſolvuntur argumenta.
Quando patris præceptum non obligat filium ad aliquod matr. non peccat ducens uxorem invitis parentibus, ex cauſis juſtis, & quæ ſint hæ cauſæ? 8.
Secluſa juſta cauſa, refertur opinio affirmans peccare lethaliter, 9.
Sententia authoris proponitur, 10.
Quid ſi ſequantur ſcandala, 11.
Et ſolvuntur argumenta, 12.

1 DUplex quæſtio diſputanda eſt. Altera, an filii teneantur acceptare matr. quod ipſorum nomine ſpopondere parentes? Seu inire matr. quod parentes jubent. Altera eſt, an ceſſante tali præcepto, vel caſu, quo id non obliget, peccent filii matr. invitis parentibus ineuntes? Hæc enim diverſa ſunt, poteſt enim filius nolle eam uxorem, quam vult pater, ducere, & non inire matr. contra ipſius voluntatem, ſed cum alia ex ipſius beneplacito.

2 Quæſtio I. An teneatur filius inire matr. quod pater ſpopondit, vel jubet ut ineat? Videtur tenere ex *c.1.de deſponſ. impub.fin.* ibi, *& poſtquam filius pervenerit, ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere.* Quia verbum debet, importat de ſui natura neceſſitatem, & præceptum: ut tradunt *gloſ. Propoſuit, verb. Non debet, de appellat. & Clem. Attendentes, de ſtatu monach. in princ. verb. Debeant: & ibi Card. in princ. notab. 9. Immol. n.7. Bonf. §.Hoc igitur, n.16. Bart. l. Creditores, n.3.C. de pign. Abb. c. 1. n. 7. de dolo, & contum. Alex. de Nevo eod. c. 1. de ſponſ. impub. n.13. & ibi Præp. n.4. Rebuff. de verb. ſign. l. 37. verſ. idem dicerem, & ſeq. Tiraq.* multos referens *l. 1. de retract. §. 1. gl.15. init. Jaſon l.1. n. 3. ff. de jurid. omn. jud. Bertach. in repert. verb. Debet: Turrecr. 4.q.1. init. n.4. Sylv. verb. Præceptum, q.2. Angel. verb. Lex num. 3.* ubi *Tab. q. 28. nu. 29. Nav. ſum. c.23. Hiſp. n.51. Lat. n.53. & cap. Inter verba, Lat. concl.1. n.9. in ſol. ad 5. Hiſp. in 2. edit. concl.1. n.27. Avendanno reſp.14. n.2. Dictionarium juris verb. Debet, Matienzo l.5. recop. t.4. l.1. gloſ.4. nu.6.* Et ex Theologis, *Gabr.4.d.16.q.3.art.1. fin. Metin.C. de jejun.q. de neceſſitate ſervandi jejunia, §. Supereſt tamen Caſtro l.1. de lege pœnali, c.5. documento 4. Lexicon Theologiæ, verb. Debet.* Nec credendum eſt *Armillæ, verb. Præceptum, n.7. & Ledeſm. 2. p. 4. q. 17. a.2. dub.6.* dicentibus, ex ſe non importare præceptum, Hoc enim minus verum eſt: licet aliquando per accidens, ratione ſubjectæ materiæ ſtet improprie, ſolum honeſtatis debitum importans, ut aſſerunt fere omnes DD. citati. Tunc autem ſubjecta materia id poſtulabit, quando ſi importaret præceptum, reſultaret pravus intellectus, ſeu alicujus juris correctio, *l. Prætor, in princ. ff. de edendo.* Sic *Bart. prox. cit.* Cum ergo textus *d. c. 1.* aſſerat, debere filium implere ſponſalia, quæ pater ipſius nomine iniit, nec ſubjecta materia diſtrahat verbum, Debet, a ſua nativa ſignificatione, importabit præceptum. Et confirm. quia dicit, *omnino debere*, dictio autem, *Omnino*, præciſam neceſſitatem importat: (ut probavi l. 1. diſp. 32. n. 6.) Et ita hanc partem tuetur *Sotus 4.d.29.q.1.a.3. concl.3.* ubi dicit eſſe ſufficientem cauſam, ut filius teneatur ad matr. ſi ſibi ſit conveniens nullaque juſta reſiſtendi cauſa adſit, paterque pro illo ſpoponderit, & juraverit. Idem tenet *Nav.ſum.c.14.n.15.* nam *c.1.de ſponſ.impub.* ſtatuens filium debere implere ſponſalia per patrem inita, explicat, de præcepti debito. Idem *Manuel 1. tom.ſum.2. edit. c.231. n.6. Lud. Lop.1. p. inſtructorii, c.54. §. Sed advertito, Capua l.2. deciſionum, c.55. n.19.*

I. Concluſio, regulariter non tenetur filius implere ſpon- 3
ſalia, quæ abſque ſuo conſenſu pater promiſit. Quia quoad contrahendum matr. filius eſt liber, & ſui juris: (ut probavi diſp. præc. n.4.) Hanc ſententiam tenent *Ricar. 4. d. 29. art.1. q.4. corpore, & ad 2. Abul.1.Reg.c.18.q 24.* Pro eadem ſent. ſunt multi DD. qui textum *c.1.de deſponſ. impub.* decidentem, puerum debere omnino implere ſponſalia per parentem inita, dicunt propter ſubjectam materiam, in qua jus canonicum tantam libertatem poſtulat, intelligi non de præcepti, ſed de honeſtatis debito, *Sic gloſſ. eod. c.1. verb. Debet, Hoſtienſ. fin. Jo: And. n.8. Card. num.1. Ant. num.4. Anchar. n.4. Abb. nu.7. Alex. de Nevo, num. 13. Præpoſ. n. 4. Henric. n. 4.* Idem *gloſſ. c.1. verb. Oportet, 25. q. 1. & Clem. Attendentes in principio, verb. Debeant, de ſtatu monach. & ibi Card. notab. 9. Immola, num.7. Bonifacius §. Hoc igitur, n.16. Goffredus ſumma, tit. de deſponſ. impub. n.13. Archid. c. unico, eod. tit. in 6. num.4. Jaſon l.1. num.3. ff. de juriſd. omnium judic. Tiraquel. l. Si unquam, verb. Revertatur, num. 82. C. de revocan. donat. Angel. verb. Lex, num. 3. Sylveſt. verb. Præceptum, qu. 2. Tabiena verb. Lex, quæſt. 28. n. 29. Coſtanus qu. memorabilibus juris, c. 12. & tract. de deſponſ. tit. quot modis ſponſalia ſolvuntur, n. 7.* habetur, *tom 9. tractatuum noviorum: Navar. c. Inter verb. Latin. concluſ. 1. num. 9. verſ. ad 5. Hiſpane, concl.1. num. 27. Sarmiento 1. Selectarum, c. 11. n.8* Et ex Theologis, *Scotus 4 d.29. q.1. fin. Sotus 4.d.27.q. 2. ad 1. Henriq. l. 11. de matr. c.13. n.13. Petr. de Ledeſ. de matr. qu. 43. art.2. ad finem.*

II. Concluſio, quando multum intereſt parentum, ut filius 4
tale matr. ineat, tenetur filius ſub lethali culpa, obedire parenti illud præcipienti. Ut ſi eſſet medium ad graves inimicitias componendas, quæ eſſent inter parentes, & conſanguineos eorum, cum quibus eſt contrahendum matr. Quia ex virtute pietatis tenentur filii ſubvenire parentum neceſſitati, ergo quando parentes indigent tali matrimonio, tenebuntur filii obedire. Sic *Calderinus cap. 1. de ſponſ. impub. & ibi Alex. de Nevo, n.6. Præpoſ. num.5. Nav. ſum. c.14. num.15. Henric. c.1. de deſponſ. impub num.6. Suarez l.2. t. De los caſamientos, n.17. l. 3. fori* Et ex Theologis, *D.Th.4. d. 29. unic. art. 4. corp.* ubi *D. Bonav. q.3. Sotus q.1. a.4. concl.3. Palacios q.1. fin. Pedraza 4. præcepto §.1. Vigue l. inſtit. num. c.16. §.7. verſ. Sexto, ibi, matrim. adeo liberum eſt: Metina l. 1. ſum. c.14. §. 14. f. 109. col. 1. Angles florib. 1. p. de matrim. qu. 3. de conſenſu coacto, art. 2. diffic. 1. fol. 549. & ſeq. Bellarm. lib.1. de matrim. cap.19. propoſit.3. & in fine, Philiarc. de offic. ſacerd tom 1. p. 2. lib. 4. c. 21. Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 6. num. 6. Manuel 1. tom. ſummæ, 2. edit. 231. num. 6. Lud. Lop. 1. p. inſtruct. cap. 54. §. Peccat filius Capua lib.2, dec. c.55. num.19. Petrus de Ledeſm. de matrim. qu.47. art.6. dub. 2. concluſ. 2.*

Intellige, caſu quo eligat filius matr. inire: ſi enim alium 5
ſtatum appetat, non poteſt pater ad ineundum matr. illum præcepto conſtringere. Quia in ſtatu eligendo filius eſt ſui juris: (ut probavi diſp. præc. num.4.) Hujus ſententiæ videtur *D.Bonav. Nav. Enriq. Capua Philiarc. num. præced. alleg.* dicunt enim, filium uxorem ducturum teneri obedire patri præcipienti tale matr. Ubi non abſolute id affirmarunt de filio, ſed ex ſuppoſitione, quod uxorem ducere velit. Et tenent expreſſe *Fr. Metina Palacios, Pedraza, Petr. de Ledeſ. concl. 1. n. præc. relati.* Quod bene intelligit *Petr. de Ledeſ.* niſi caſu quo ob parentum indigentiam teneretur filius abſtinere a religionis ingreſſu. Tunc enim ſi matr. locuplex quod offertur filio, eſſet medium neceſſarium parentum ſubventioni, cui aliter non poſſet conſulere, teneretur illud inire.

2. Intellige concluſionem, niſi juſta cauſa ductus filius re- 6
ſiſtat tali matr. Ut quia fide priorum ſponſalium cum altera contractorum aſtringebatur. Sic *Manuel n. 4. cit.*

In caſu autem hujus 2. concl non tam ex præcepto paterno, 7
quam ex pietatis virtute filium obligantis conſulere paternæ indigentiæ, tenetur obedire. Quare *Ricard.4. d.29. ar.1. q.4. ad 2.* dicit, non poſſe patrem obligare, niſi quando ſecluſo ejus præcepto tenebatur filius illud contrahere matr. Sic tenet *Petr. de Led. de matr. q.47. n.6. dub.2. concl.3.* Ad arg. propoſita n.2. conſtat ex dictis, num. 3. ubi textum illum, cui prior ſententia innititur, enodavimus.

8 QUÆSTIO II. An ſecluſo caſu, quo teneretur filius obedire patri præcipienti aliquod matr. peccet lethaliter invitis parentibus contrahens? Et quidem exiſtente juſta cauſa in filio, fatentur omnes, eum culpæ eſſe immunem, ut ſi pater injuſte prohibeat filium, illud matr. quod appetit, inire. Ut bene exemplificant *Bellar. & Enriq. n. ſeq. allegandi.* Vel ſi pater indigno matr. filium collocare velit, gratia amplioris dotis. Sic *Cord. Bellar. Salon, Lud. Lop. Vega n. ſeq. referendi.* Vel ſi pater velit, filium ducere uxorem ægram, imprudentem, aut durioris conditionis, cum qua probabiliter credat filius fore, ut pacem non habeat. Sic *Cord. Salon. Lud. Lop Vega ibid.* Vel ſi pater eſſet negligens in tradenda filio uxore, ut quia jam filius 25. annum exceſſit. Sic *Verac. Cord. Salon. Lud. Lop. Vega n. ſeq. citan.* Vel quando aſpere tractaretur filius a parentibus: & plus juſto opprimeretur. Sic *Verac. & Salon ibid.*

9 Difficultas autem eſt, quando deficit hæc cauſa juſta in filio, an lethaliter delinquat invitis parentibus iniens matr. Affirmant quidam. Ducuntur 1. quia eſt injuria parentibus illata in re gravi, & ob quam merito, ac jure optimo graviſſime illi offenduntur, diſſolviturque amicitia: in cujus teſtimonium experientia teſtante apud omnes nationes, filii ſic contrahentes non audent parentum vultum intueri, quæruntque viros graves, qui ipſos placent, quaſi gravi injuria affectos, juſteque iratos: ergo eſt culpa lethalis. 2. Quia hæc ſunt relativa, Ego teneor tui curam habere, & tibi circa hoc providere: & tu teneris in hoc mihi obedire. Quo arg. uſus eſt. *D. Paulus ad Heb.13.* probans Prælatis obtemperandum eſſe, quia ipſis cura eſt de ſubditis: tenenturque de ipſis rationem reddere. Sed parentes tenentur ſub mort. providere filio de nuptiis: ergo tenetur filius ſua mort. obedire, non eligendo matr. invitis parentibus. 3. Quia jure gentium conſuetudine omnium nationum explicato, non eſt filiorum, & maxime filiarum, dum parentum curæ ſubſunt, quærere nuptias, ſed id parentum munus eſt. Quod jus gentium confir. per jus Pontificium, ut *3.q.5.c.Aliter*, ubi ad ſignificandum quam æquum ſit puellam ex parentum conſenſu nubere, ſtatuit Evariſtus Papa, ut pro nupta non habeatur puella, quam pater non deſponſat. Et ſimile ſtatuit Leo Pont. *c. Qualis, 30. q.5.* & D. Ambroſ. cujus dictum refertur *c. Honorantur 32. q. 2.* ait non eſſe virginalis pudoris maritum eligere, ſed judicium parentum expectare. Et in ſacris litteris, parentibus tribuitur hoc munus. *Sap.7. da filiam tuam viro prudenti.* Et *D. Paul.1. Cor 7.* copioſe docet a parentibus tradendas eſſe filias nuptiis. Multaque Scripturæ exempla ad hoc confirmandum affert *Bellar ſtatim alleg.* Ergo omnia hæc teſtantur; teneri filios in hoc obedire parentibus: & cum res ſit gravis, erit culpa lethalis. Hujus ſent. ſunt *Sot.2. d.28.q.1.art.1. fin. Cord. ſum.q.171. pun.1. notab.3. Nav. ſum.c.14.n.15. Verac.3.f. ſpecul. art. 20. concl.3. Metina l.1. ſum.c.14.§.14.f.109. col.1. Bellar. l.1. de matr. c.19. propoſ.3. & in fine, Enriq. lib.11. de matr.c.6. n.6. Salon 2.2. poſt q.61.q.5. de domin. ar.5.q. quam movet, an poſſint parentes exhæredare filios ob hanc cauſam. concl.1.f.525. Azebedo l 5. recop t.1. l.1. n.49. Philiarc. de offic. ſacerd. t.1 p.2. l.4. c.21. Petr. de Ledeſ.* dicens eſſe ſent. Theologorum, & Juriſperitorum *de matr. q.47. ar.6. dub.2. Manuel 1.t.ſum.c.14.n.2 Capua l 2. dec. c.55.n.19. Lud. Lop.1.p. inſtr.c.54.§. Adverte quid ad hæc. Vega l.5. ſum. caſ.558.* Aliqui tamen ex his DD. ut *Nav. Azeb. Enriq. Capua, Philiar.* temperant, quando filius indignam uxorem ducit. Ejuſdem ſententiæ videtur *Petr. de Soto, lect.3. de matr. §. Tertio etiam, & P. Molina, to.1. de juſt. tr.2. diſp.176 in ſol. ad 1.* ubi uterque fatetur peccare filium inſciis & invitis parentibus contrahentem: & addit *Petrus de Soto* eſſe grave crimen, licet neuter explicet, an ſit mortale. Favent etiam *D. Bonav.4.d.29. q.3. Calder. c.1. de deſponſ. impub.* ubi *Alex. de Nevo, n.6. & Præpoſ n.5.* dicunt peccare filium non obedientem patri præcipienti ex juſta cauſa, ne cum hac contrahat. Et licet multi ex his Doctoribus loquantur de patre, nihil de matre dicentes; at *Bellar. Cord. Petr. de Soto, Azebed. Petr. de Ledeſ. Lud. Lop. Salon, Vega*, de parentibus loquuntur: ſub quibus pater, & mater comprehenduntur. Et hæc ſententia eſt probabiliſſima.

10 At probabilius credo, teneri filios ſub culpa lethali conſilium parentum circa matr. petere, non tamen illud ſequi: & ita licite poſſe ipſis invitis, prius tamen conſultis, inire matr. quod volunt. Prob. prior pars, rationibus prioris ſent. Præterea, quia juri naturæ, quo parentes in liberos funguntur, ſub quorum ſunt poteſtate, conforme eſt, ne citra patris conſilium aliquid de re tam gravi, ut eſt matr. vinculum, a quo totum vitæ inſtitutum pendet, filius deliberet: & ipſa perpetuitatis ratio, & amoris nexus, quo debent conjuges conglutinari, maturum conſilium in nuptiis celebrandis expoſcit. Probatur poſterior pars, ex doctrina *D.Th.2.2.q.104.ar. 5. corpor.* ubi ait in his quæ ad proprii corporis ſuſtentationem, proliſque generationem attinent, omnes homines eſſe pares, nec filios ſubjici parentibus, ergo non tenentur ſequi conſilium, & voluntatem parentum. 2. Quia cum per matr. homo perpetue ſervituti obligetur, recta ratio poſtulat, ut in illo contrahendo, omnino liber ſit, a nulliuſque voluntate pendeat. 3. Quia nullus obligatur ad id, quod eſt culpa, ſed promittens feminæ clam matrim. tenetur implere, nec inter cauſas diſſolvendi ſponſalia, numeratur paterna reſiſtentia, niſi quando graviſſima ſuborirentur ſcandala: (ut probavi l.1.d.14.n.4.) ergo contrahere matr. abſque conſenſu parentum, non eſt peccatum. Ultimo, quia conditio adjecta legato, ſi filius ducat uxorem de patris conſenſu, rejicitur tamquam matr. libertatem impediens, ſecus ſi de conſilio, quia illud non tenetur ſequi (ut probavi lib.1. d. 34. n.22. & 24.) ergo ſignum eſt, filium non teneri ſequi in matr. conſenſum parentum: alias enim talis conditio honeſta omnino eſſet, & non rejicienda. Sed dices, quorſum petendum eſſet id conſilium, cum filius non teneatur illud ſequi: & maxime quando aſtrictus erat ad contrahendum propter fidem datam? Reſp. multum conferre. Poterit enim forte pater aliqua aperire, ob quæ licitum ſit filio decepto diſſolvere ſponſalia: vel ſi illis aſtrictus non ſit, mutet voluntatem. Hanc ſent. tenent *Menoch. conſ.69. a n.19. uſque ad 29. vol.1. Gutt. l.1. q. can. c.20. n.3. Jo: Heſels magiſt. Theol Lovan. in expoſ. Decal. circa præcepta 2. tab. c.22. ad fin.* Et non eſſe peccatum abſque conſenſu parentum contrahere, videntur expreſſe tenere, *D.Th. 2.2. q. 104. art.5. corp. & Scot. 4.d.29.q.1. fi. Abb. c.1. n.6. de deſponſ. impub.* ubi dicunt, quoad matr. contrahendum non eſſe filium ſub parentum poteſtate, nec teneri illis obedire. Idem videntur expreſſe tenere *gl. c. fi. 32 q.2. v. Parentum, el 2. & c. Cum virum v. Paterna, de reg. Hoſtien. ſum. tit. de ſponſ. §. Qualiter contrahantur, n.7. ad fin. Suarez l.3. fori, tit. de los caſamientos, l.2. n.20. Practica forenſis, tit. de dote, §.2. Matien. l 5. recop. t.1. l.2. gl.2. n.2.* ubi docent, textus petentes conſenſum parentum ad filiorum matr. procedere ex honeſtate, non ex neceſſitate. Idem videtur tenere *Jo: Lup. c. Per veſtras, de donat. inter vir. & uxor. not.3. §.15. n.1.* ubi ait filiam liberam eſſe, ut etiam ante 25. annum, nubat indigno, ſine patris conſenſu: ne alias libertas matrimonii impediatur, deturque anſa fornicandi. Idem expreſſius videtur tenere *Cov.4. decr.2.p.c.3.§.8.n.1. verſ. Honeſtum*, ubi ait honeſtum eſſe filias parentum conſenſum in matr. contrahendo exigere. Et *n.5 init.* ubi ait nemini injuriam facere filiam, quæ jure permittente matr. ſine patris licentia contrahit. Et tenent expreſſe *Viguerius l. inſtit. c.16. §.7. verſ. Sexto*, ibi, *matrimonium adeo liberum eſt, Ledeſ.2. p.4. q.49. art.6. Hippolytus Rimin. conſ.133. n.49. vol.2.* Et non eſſe peccatum lethale invitis parentibus contrahere, fatentur *Victoria ſum. de matr. nu. 269. Enriq. lib.11 de matr. c.6. n.4. in comm. lit. F.*

Hæc tamen ſent. intelligenda eſt, niſi ratione ſcandali. 11
Quando enim probabiliter noſſet filius graviſſima inde ſcandala, & odia capitalia ſubortura, peccaret lethaliter ſic contrahendo, contra charitatem. Sic *Victoria, & Led. n. præc. alleg.*

Ad arg. prioris ſent. propoſita n. 9. reſp. Ad 1. dic eſſe 12
gravem injuriam, quando inconſulto patre filius contrahit, ſecus quando ipſo conſulto, quamvis non conſentiente. Quia nulli injuriam irrogat utens jure ſibi conceſſo. Ad 2. dic, non concludere teneri omnino obedire, ſed tantum quoad conſilium petendum. Sicut pater tenetur filio ſtudere volenti, providere, vel ſacerdotium, aut religionem eligenti: at filios non tenetur patri hæc præcipienti obedire. Ad 3. dic tantum probare, eſſe valde honeſtum ſequi parentum conſenſum, & eſſe præceptum petere conſilium.

DISPUTATIO XXIV.

An filia, invitis parentibus nubens non clandeſtine, poſſit a parentibus exhæredari?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint, num. 1.
Refertur opinio aſſerens, filiam indigno nubentem abſque parentum conſenſu poſſe exhæredari, 2.
Non poteſt ob hoc exhæredari, 3.
Tres exiguntur conditiones, ut poſſit ob id exhæredari, 4.
An exigatur, ut pater ſe obtulerit ad filiam maritandam? nu. 5. Et ut ſit meretrix? n. 6. Et an ſufficiat eam eſſe meretricem, nondum expletis 25. annis, 5.
Pater luxurioſe vivens poteſt ob id filiam exhæredare non tamen mater, 7.
Quid, ſi mater ſit correcta? & an hæc correctio debeat eſſe tempore conditi teſtamenti, vel mortis? nu. 8. Et quid, ſi filia meretrix ſit major 25. annis, 9.
Quid, ſi filia invitis parentibus, mancipio nubat, 10.
An filius invitis parentibus ducens uxorem poſſit exhæredari, 11.
An promiſſa dos feminæ ſervienti honeſte debeatur, ſi novem annis tranſactis, cum major jam ſit 25. annis, fornicetur, 12.
Solvuntur argumenta: & enodantur, l. Non tantum, §. Si emancipatus, ff. de bonor. poſſeſ. contra tab. & auth. Sed ſi poſt, C. de inoffic. teſtam. & auth. Ut cum, de appell. §. Aliud quoque, verſ. Cauſas, n. 13.
An attento jure regni Caſtellæ poſſit filia, vel filius invitis parentibus iniens matrim. exhæredari? Proponitur opinio affirmans, 14.
Contraria verior, n.15. & explicantur, l.10. & 11. t.1. p.4.
Filia, vel propinqua heri contrahens ſponſalia, vel matr. cum famulo, an poſſit exhæredari, 16.

DIſputatio preſens non eſt, quando filia clandeſtine nubit. 1
De hac enim re actum eſt lib.3. d.47. ſed quando Trid.

forma ſervata, invitis parentibus matr. init. Poteſtque quæſtio hæc diſputari attento jure civili, & de hoc eſt diſputatio præſens, vel attento jure canonico, de quo diſp. ſeq. ſerm. habebitur. Quæſtio igitur hæc dubia eſt, & diſputanda. Primo attento jure Cæſareo: Et deinde, attento regio Caſtellæ.

2 De jure igitur Cæſareo, affirmant aliqui filiam indigno nubentem, parentibus inviti, poſſe exhæredari. Ducuntur primo, per l. Non tantum, 3. §. Si emancipatus, el 1. ff. de bonor. poſſeſſ. contra tab. ibi, nam etſi tam ignominioſam duxerit uxorem filius, ut dedecori ſit tam ipſi, quam patri mulierem talem habere: dicemus, & ex ea natum ad bonorum poſſeſſionem avi admitti: cum poſſit avus jure ſuo uti, eumque exhæredare. 2. ex auth. Sed ſi poſth. C. de inoffic. teſt. ibi, ſed ſi poſt 25. annos te differente filiam marito copulare, ea in ſuum corpus peccaverit, vel ſine conſenſu tuo, marito ſe (libero tamen) copulaverit, eam exhæredare non potes. Ergo a contrario ſenſu, ſi ante 25. annos nubat ſine patris conſenſu, poterit exhæredari. 3. Quia auth. Ut cum, de appel. cognoſc. §. Aliud quoque verſ. Cauſas, una ex cauſis, ob quam filius exhæredari poteſt, numeratur, ſi gravem, & inhoneſtam injuriam patri intulerit: at talis eſt hæc, inducit enim odium capitale, teſte Bald. l. Omnem, C. ad S.C. Tertul. ergo poterit exhæredari. Sic tenent Goffred. ſum. tit. de deſponſ. impub. n. 13. Bald. l. Si pater, C. de ſponſ. & l. Neque filium, C. de nuptiis, Anch. c. 1. de deſponſ. impub. fin. & c. un. eod. t. in 6. fi. ubi & Franc. §. Porro, n. 1. & 2 Jo: Lup. c. per veſtras, de don. inter vir. & uxor. not. 3. §. 5. n. 1. Mench. de ſucceſ. creat. p. 1. l. 1. §. 10 n. 623. addens id verum eſſe, licet digno nupſerit.

3 At tenendum eſt non poſſe ob hoc exhæredari. Prob. ex auth. ut cum; de appel. cognoſc. §. Aliud quoque ad fi. ibi, Si alicui ex prædictis parentibus volentibus ſuæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem, & ſecundum vires ſubſtantiæ ſuæ pro ea preſtare, illa non cenſerit, ſed luxurioſam degere vitam elegerit. Si vero uſque ad vigintiquinque annorum ætatem pervenerit filia, & parentes diſtulerint eam marito copulare, & forſitan ex hoc contigerit in ſuum corpus eam peccare, aut ſine conſenſu parentum marito ſe (libero tamen) conjungere: hoc ad ingratitudinem filiæ nolumus imputari. Quod authenticum explicans l. 5. t. 7. p. 6. ſic ait, otro ſi, quando el padre quiſieſſe caſar ſu fija, e la dotaſſe ſegun la riqueza que el oviesse, e ſegun que perteneſcieſſe a ella, e a quel con quien la queria caſar: ſi ella contra ſu voluntad de el padre dixeſſe que non queria caſar, e deſpues de eſto fiziere vida de mala mujer, en puteria, poderia el padre desheredar la por tal razon. Pero ſi el padre alongaſſe el caſamiento de ſu fija, de manera que ella paſſaſſe de edad de veinticinco annos, ſi deſpues de eſto fizieſe ella yerro, o enemiga de ſu cuerpo, o ſe caſaſſe contra la voluntad de ſu padre, non poderia el desheredarla por tal razon. Ergo deſideratur, ut filia invitis parentibus nubens, ſimul vitam luxurioſam eligat. Ita tenent gl. c. Quintavallis, v. Exhæredare, de jurejur. Hoſt. c. 1. de deſponſ. impub. paulo poſt princ. ubi Jo: And. n. 8. Ant. n. 4. Card. n. 2. Abb. n. 5. Alex. de Nevo, n. 9. Jaſon auth. Sed ſi poſt fin. C. de inoffic. teſt. Jo: Lup. c. per veſtras donat. inter vir. & uxor. notab. 3. §. 13. n. 1. Roſel. v. Hæreditas, n. 8. Sylv. Hæreditas 2. q. 7. Tab. v. Dos, q. 3. n. 4. Suar. l. 3. fori, tit. De los caſamientos, l. 2. n. 18. Acoſta l. Gallus, §. Et quid ſi tantum, 3. p. n. 177. ff. de liber. & poſth. Jul. Clar. l. 3. recept. §. Teſtam. q. 41. verſ. Sed quid ſi filia, Bertrand. conſ. 61. n. 9. & 10. l. 1. Ant. Gabr. to. 1. comm. in mea edit. lib. 5. v. Exhæredatio, f. 315. Pract. forenſ. tit. de dote, §. 2. Et ex Theologis, Palud. 4. d. 28. q. 2. fi. n. 33. Sotus 4. d. 29. q. 1. art. 4. ad 4. Enriq. l. 11. de matr. c. 6. n. 3. P. Molin. to. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 176. f. 1039.

4 Ex dictis infertur, 3. deſiderari conditiones, ut filia invitis parentibus nubens exhæredari poſſit. I. eſt, ut parentes velint eam matrimonio collocare, & dotem ſecundum vires ſuæ ſubſtantiæ tradere. II. Ut filia illi matr. repugnet, & ſimul vitam luxurioſam eligat. III. Eſt ut ſit minor 25. annis. Hæ conditiones expreſſe habentur d. auth. Ut cum de appel. cognoſc. §. Aliud quoque, & l. 5. t. 7. p. 6.

5 Semper autem præſumendum eſt, velle parentes virum, & dotem competentem filiæ, aut nepti dare: quando contrarium aliunde non conſtat. Quia plus filios, quam ſeipſos diligunt, l. Iſti quidem, ff. de eo quod metus cauſ. Sic P. Mol. t. 1. de juſt. tr. 2. d. 176. f. 1038. Imo licet d. auth. & d. l. 5. t. 7. p. 6. videantur exigere patrem obtuliſſe ſe ad maritandam, & dotandam filiam, antequam 25. annos expleverit: at vere hoc non exigitur, ſed poteſt exhæredari, licet pater ad hoc non ſe obtulerit. Quia forte facultas non fuit, vel ob negligentiam. Quod clare ſignificat d. auth. reddens rationem, quare poſt 25. annum non poſſit filia exhæredari: ibi, quia non ſua culpa, ſed parentum id commiſiſſe cognoſcitur, & illa l. 5. ibi, pero ſi el padre alongaſſe el caſamiento. Nam pater non videtur negligens, nec culpæ reus uſque ad illam ætatem. Et expreſſe prob. per l. Si filiam 19. junct. auth. Sed ſi poſt ibi poſita, C. de innoffic. teſt. Unde d. auth. & d. l. partitæ debet ſuppleri, maxime ſi pater ſe obtuliſſe. Sic Greg. Lop. ea l. 5. v. Que no queria. Et videtur clare tenere Cov. c. Rayn. de teſt. init. n. 15. ibi enim ſic explicat hunc caſum: quando, patre nondum negligente maritare filiam, quia ipſa non eſt 25. annorum, luxurioſam vitam elegerit. Et ita juxta hæc, erit ſufficiens exhæredationis cauſa, quando filia minor 25. annis elegerit vitam luxurioſam.

6 Hinc infertur, non ſatis eſſe, ſi ſemel, aut bis copiam ſui corporis furtim filia faciat, ut poſſit exhæredari. Quia dicit auth. citatum, luxurioſam degere vitam elegerit. Et l. 5. t. 7. p. 6. ibi, ſi ella biziere vida de mala mujer en puteria. Sic Covar. c. Raynut. de teſtam. init. nu. 15. P. Molin. to. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 176. fol. 1038. fine. Et quamvis lex illa partitæ videatur exigere, ut in lupanari publico meretrix fiat, at ſatis erit extra locum publicum: quare illa lex intelligi debet, juxta authenticum citatum, unde ſumpta eſt: & juxta l. Si filiam, C. de inoffic. teſtam. quare ea verba, en puteria, non debent intelligi, de lupanari publico, ſed intelliguntur, ut filia male vivat, meretricando, luxurioſe vivendo. Sic Greg. Lop. ea lib. 5. v. En puteria, Molina hoc num. cit.

7 Poteſt autem pater luxurioſe vivens, filiam ita viventem minorem 25. annis exhæredare. Quia vita luxurioſa quoad infamiam, & damna inde ſecuta, non ita vituperatur in viris, ſicut in feminis, ut multis citatis probat Tiraq. lib. 1. connub. n. 45. Sic tenent Tiraq. ibi, Fulgoſ. aut. Sed ſi poſt. C. de inoffic. teſtam. Jaſon l. in arenam, C. eod. tit. Roſell. v. Hæreditas, n. 6. Covar. c. Raynut. de teſtam. init. num. 15. Menchaca de ſucceſſionum creat. p. 1. l. 1. §. 10. n. 60. P. Molina to. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 176. fol. 1039. Mater autem meretrix non poteſt filiam ratione meretricii exhæredare, l. In arenam, 11. C. de inoffi. teſtam. ibi, niſi, & ipſe ſimilis conditionis ſit. Quia tunc pari turpitudinis vitio afficitur. Sic cum Bart. Baldo, & communi, dict. l. In arenam, docent Roſell. Cov. Mench. Molina proxime cit. Bernar. Diaz reg. 457. Greg. Lop. l. 5. t. 7. p. 6. v. Desheredar, Enriq. l. 11. de matrim. c. 6. n. 3. & colligitur aperte ex gl. auth. Ut cum, de appell. cognoſc. §. Aliud quoque, verb. profeſſionis.

8 Quod tamen temperandum eſt, niſi mater ſit correcta. Tunc enim ſecundum omnes poteſt filiam meretricem exhæredare. Quia jam non eſt in pari turpitudinis cauſa. Non conſtat autem inter DD. quo tempore debeat eſſe hæc correctio. Communis enim ſententia docet ſatis eſſe tempore mortis: ut fatetur Menchaca de ſucceſſionum creat. p. 1. l. 1. §. 10. n. 611. Quia ultima conſuetudo inſpicienda eſt, l. Mela, §. 1. ff. de adim. legat. Et ita docent Bald. l. Si filiam, C. de inoffic. teſtam. Angel. & Guillel. quos refert: & ſequitur Greg. Lop. lib. 5. verb. Desheredar, t. 7. p. 6. Sed bene Menchaca eodem n. 611. hoc reprobat dicens oportere correctam eſſe tempore, quo teſtamentum ſcribebat: ne tunc injuſta videretur mater turpitudinem in ſe ipſa admiſſam improbans in filia, ob eamque exhæredans in illo teſtamento, contra dict. l. In arenam, C. de inoffic. teſtam. Item, quia qualitas adjuncta verbo debet intelligi ſecundum tempus verbi, l. In delictis, §. Si extraneus, ff. de noxal. action. Quare cum d. l. In arenam, & auth. Ut cum, de appell. §. Aliud quoque, verſ. Si præter, decidant turpiter viventem, non poſſe ratione ſimilis turpitudinis exhæredare: intelligi debent, quando ſimilis turpitudo aderat, tempore quo exhæredat in teſtamento.

9 Dum autem auth. Sed ſi poſt, C. de inoffic. teſtam. & auth. Ut cum de appell. cognoſc. §. Aliud quoque, deciditur oportere, ut filia minor ſit 25. annis, ut ratione luxurioſæ vitæ exhæredari poſſit: ea ætas completa eſſe debet: itaque oportet ut talis filia compleverit 25. annos, ne ea ratione exhæredari valeat. Quia ea auth. Sed ſi poſt dicitur, ſed ſi poſt 25. annos, quæ particula Poſt, complementum poſtulat: ut tradit Franc. Aretin. l. Si cui legetur, in princ. n. 1. ff. de legat. 1. Item quia dict. §. Aliud quoque, dicitur, Si vero uſque ad 25. annorum ætatem pervenerit: ubi ponitur ætas in plurali, & in genitivo, & cum verbo ſubjunctivi; & cum præpoſitione, Per, quæ omnia perfectionem, & complementum important: ut tradunt communiter DD. ea l. Si cui legetur. Tandem, quia hoc expreſſe decidit, l. 5. t. 7. p. 6. ibi, pero ſi el padre alongaſſe el caſamiento de ſu fija, de manera que ella paſſaſſe de edad de veinte y cinco annos. Et ſic tenent P. Molina to. 1. de juſt. tr. 2. diſp. 176. f. 1039.

10 Quamvis autem filia ſit major 25. annis, ſi contrahat invitis parentibus cum mancipio, poteſt exhæredari. Sic expreſſe colligitur a contrario ſenſu, ex auth. Ut cum, de appell. cognoſc §. Aliud quoque, in fin. & auth. Sed ſi poſt, C. de inoffi. teſt. ibi, ſed ſi poſt 25. annos, &c. ſine conſenſu tuo, marito ſe (libero tamen) copulaverit, eam exhæredare non potes, ergo a contrario ſenſu, ſi ſervo nubat, poterit exhæredari. Et ita tenet gl. eo §. Aliud quoque, verſ. Uſque, & dict. Authent. Sed ſi poſt in princip. quam omnes ibi ſequuntur Suar. lib. 1. tit. De los caſamientos, lib. 3. fori, n. 29. Molin. alleg. nu. præced. bene addens a fortiori poſſe exhæredari filiam ante vigeſimum quintum annum abſque parentum conſenſu, mancipio nubentem.

11 Filius autem quamvis renitentibus parentibus matrimonium ineat luxurioſeque vivat, nequit exhæredari. Quia auth. Ut cum, de appell. cogn. §. Aliud quoque, & l. 5. t. 7. p. 6. de ſola filia meminere: & cum res ſit odioſa, multoque gravis ſit delictum in femina, non extendi debent ad filium. Hoc eſt contra Menchacam de ſucceſſ. creat. p. 1. l. 1. §. 10. n. 643. ubi idem dicit de filio ignominioſe uxorem ducente, & n. 635. dicit idem, licet dignum matr. contrahat. Sed noſtram ſent. tenent gloſſ. cap. Quintavallis, de jure jur. v. Exhæredare. Alexan. de Nevo, c. 1. n. 9. de ſponſ. impub. Sylv. Hæreditas, 2. q. 2.

12 Ex dictis infertur reſolutio cujuſdam quæſtionis conſcientiæ, quam proponit Nav. l. 4. conſ. 1. n. 1. edit. de ſponſ. conſ. 31. in 2. t. de cond. appoſ. conſ. 2. de quadam femina, quæ promiſit ancillæ dotem 100. aureorum, ſi honeſte ſerviret: ſervivitque ancilla honeſte 9. annis, quibus tranſactis, expletiſque 20. ætatis annis, ancilla ſtuprum admiſit. Dubitatum ergo fuit utrum domina deberet dotem promiſſam, quia defecit conditio honeſte vivendi. Sed dicendum eſt cum Nav. ibi, debitam eſſe dotem: tum quia promittens fuit in mora tradendi ancillam viro, cum jam illa expleviſſet 25. ann. Item quia ea conditio honeſte vivendi, non

intelli-

intelligitur toto vitæ curriculo, ſed tempore arbitrio prudentis ſufficienti, quale eſt novem annorum.

13 Ad arg. prioris ſent. propoſita n. 2. reſp. Ad 1 dic, illam legem eſſe correctam, per auth. Ut cum de appel. cognoſ. ubi deciditur propter nullas alias cauſas, quam ibi expreſſas, poſſe filiam exhæredari: hæc autem non eſt ibi expreſſa. Et ita correctam eſſe, docent, gl. ead. d. l. Non tantum, §. Si mancipatus, v. Exhæredare, & ibi Barth. & alii quos referunt, & ſequuntur Greg. Lop. l. 10. v. Puedela, t. 1. p. 4. Suar. l. 2. n. 28. tit. De los caſamientos, l. 3. fori, Rimin. conſ. 133. n. 30. vol. 2. Ad 2. reſp. bene Suar. n. 29. legem illam ſolum intendere, filiam nubentem mancipio invitis parentibus poſt 25. annum, poſſe exhæredari: & ad hoc ſumi inde arg. a contrario ſenſu. Ad 3. reſp. bene P. Mol. to. 1. de juſt. tr. 2. d. 176. f. 1053. illam ſecundam cauſam intelligi, de injuria per ſe, & directe illata parentibus, qualis eſt contumelia gravis verborum, aut in patris ignominiam, cornua pre foribus illi appendere, vel alia ſimilis: ſecus de injuria per accidens, ac indirecte, & præter filii intentionem illata, qualis eſt invitis parentibus ignominioſam uxorem ducere.

14 QUÆSTIO II. An attento jure regio Caſtellæ poſſit filia invitis parentibus nubens exhæredari? Id enim affirmant quidam, ut Sotus 4. d. 29. q. 1. art. 4. ad 4. addens licet exceſſerit 25. annos: Perez l. 5. ordin. t. 1. l. 1. §. Clandeſtinum, f. 36. Spino, ſpec. teſt. gl. 20. n. 66. & limitat n. 67. contra Sotum niſi excedat 25. annos. Ducunturque per l. 49. Tauri, quæ hodie eſt, l. 1. t. 1. l. 5. recopil. ubi dicitur poſſe exhæredari filiam matr. quod Eccleſia judicat clandeſtinum, contrahentem. Dicunt enim Perez, & Spino, appellari ibi clandeſtinum quoad hanc penam, quod ſine patris conſenſu contrahitur. 1. poteſt melius probari, ex lib. 2. De los caſamientos, lib. 3. fori, ubi dicitur poſſe exhæredari filiam nubentem abſque parentum conſenſu vel fratrum, ſub quorum poteſtate manet parentibus defuncti, ubi Suar. n. 4. ait, licet leges fori non plus valeant, quam uſu receptæ ſint, & illas alleganti incumbat uſum probare: ſecus eſſe in hac lege: quia eſt approbata per pragmaticam quamdam, Jo: 2. 3. poteſt probari per l. 10. t. 1. p. 4. ibi, pero ſi aquel con quien el padre quiere caſar alguna dellas, fueſſe a tal, que convenieſſe, e que ſeria aſſaz bien caſada con el, maguer que la non puede apremiar, que cumple lo que el avia prometido, puedela desheredar, &c. E eſto ſe entiende, ſi deſpues deſto ſe caſare ella con otro contra la voluntad de ſu padre, o ſi fizieſſe maldad de ſu cuerpo. Et l. 11. fin. extenditur hæc pœna ad filios familias committentes: & ita advertit Greg. Lop. ead. l. 11. fin.

15 Sed verius eſt oppoſitum. Quia leges regni citatæ id non probant. Non l. 49. Tauri, quia loquitur de matr. cland. quale non reputatur, eo quod deſit patris conſenſus. Ut bene docent Gutt. l. 2. pract. q. 1. n. 28. Azebedo l. 5. recop. t. 1. & l. 2. n. 6. Grat. reg. 199. n. 23. Segura direct. jud. 2. p. 15. n. 36. Non etiam id probat lex fori, quia ea non eſt uſu recepta: quod ad ejus obligationem deſiderabatur: nec pragmatica illa Jo: 2. habetur in nova recopil. cum tamen in pragmatica quadam initio novæ recopilationis poſita, ſtatuatur, nullas leges regni obligare, præter ibi inſertas, & leges partitarum. Ad l. 10. & 11. t. 1. p. 4. quæ preſſius urgent pro oppoſita ſent. dico, eas eſſe correctas, per l. 5. t. 7. p. 6. junct. l. 8. ubi habetur ob nullas alias cauſas poſſe filiam exhæredari, quam illis legibus expreſſas, in quibus non continetur hæc. Et ita Greg. Lop. advertit eamdem l. 10. v. Puedela, licet ſub aliquali dubio. Et poteſt probari dictis n. 13. ubi cum multis DD. dixi, l. Non tantum, ſtatuentem poſſe exhæredari filiam ignominioſe nubentem, eſſe correctam, per auth. Utrum de appell. cognoſc. ubi decernitur ob nullas alias cauſas, quam ibi expreſſas, poſſe filiam exhædari.

16 Tandem eſt alius caſus, qui continetur in jure regio Caſtellæ, l. 5. recop. t. 1. l. 2. ubi ſtatuitur, ſi famulus habitans in domo heri, contrahat ſponſalia, vel matr. cum filia heri, aut cum ejus conſanguinea in domo ejus habitanti, abſque heri conſenſu, poſſe filiam, vel propinquam exhæredari.

DISPUTATIO XXV.

An quatenus leges exhæredant filias contrahentes invitis parentibus non clandeſtine, ſed ſervata forma Tridentini, corrigantur jure canonico?

SUMMARIUM.

Proponitur opinio negans corrigi, jure canonico, n. 1. Et ibi, an poſſit abſolvi pater exhæredans filias caſu, quo jus civile id permittit.

Opinio contraria verior, n. 2. Et quid, ſi indigno nubat filia, 3.

Quid, ſi lex ſit exhæredans abſque conſilio patris filiam nubentem, 4.

Solvuntur argumenta, 5.

1 DUplex eſt ſent. I. negat eas leges jure can. corrigi. Ducitur 1. quia non tollitur iis legibus libertas ad matr. ineundum, ſed eam moderantur, ne in reipublicæ diſpendium, ac perturbationem ea contrahentes abutantur, ſtatuentes penas in abutentes ineundo matr. invitis parentibus, unde perturbationes, & rixæ in republica oriri ſolent: ergo juſte ſunt, nec jure canonico adverſantur. 2. quia cum matr. ſit ſacramentum, & contractus naturalis, & politicus, licet ut ſacramentum eſt, nihil poſſit ſæcularis poteſtas diſponere: at quatenus contractus eſt, ipſius eſt curare, ut convenienter quieti, & paci reipubl. celebretur: ergo poteſt ſtatuere penas aliter contrahenti. 3. quia pœna conſiſtens in lucro non acquirendo non adverſatur libertati matr. ſed valida eſt, (ut late dixi l. 1. d. 33. per totam) ſed cum leges privant hæreditate contrahentes abſque patris conſenſu, non agunt de damno incurrendo, ſed de non acquirendo lucro ipſis ſolis legibus civilibus debito; ergo tales leges juſtæ ſunt nec repugnant libertati matr. Prob. minor, quia jure naturæ ſola alimenta vitæ neceſſaria debentur filiis, quæ per exhæredationem minime auferuntur, juxta veriorem ſent. Hæreditas autem per leges civiles debetur, & licet dicatur, filiis debita, l. fin. verſ. pen. C. de codicill. l. Cum in adoptivis, verſ. Omnia igitur, ibi, naturalia debita percipere, C. de adop. uſque adeo, ut viventibus parentibus dicatur jam debita filiis, gl. auth. de hær. & falc. § Si quis vero non implens, v. Auferri, collat. 1. & auth. de triente, & ſemiſſe, in princ. v. Debitum, collat. 3. & ita filii reſpectu legitimæ videantur agere de damno vitando, cum rem ſibi debitam petant. at re vera non eſt debita legitima, ſed quaſi debita, & ita judicatur de ea quaſi de lucro captando: ut optime docent gl. l. Si emancipata, fin. C. de juris, & facti ignor. & ibi Bart. n. 3. & ibi Bald. Salic. Fulg. & Jaſ. quos refert, & ſequitur Padil. ibi n. 32. Aretin. l. Titia, in princ. n. 3. ff. de verb. oblig. Soc. l. 1. n. 31. ff. de vulg. & ibi Jaſon, n. 160. Jo: Lup. c. Per veſtras, de donat. inter vir. & uxor. not. 3. §. 21. Segur. l. 3. §. fi. n. 115. ff. de lib. & poſth. & ibi Perez in addit. & legitimam non eſſe vere debitam: ſed quaſi, optime docet cum aliis Tiraq. l. Si nunquam, v. Suſceperit liberos, n. 113. 114. C. de revoc donat. Et hinc eſt, ut ſuperſtite patre non publicetur legitima propter filii delictum, nec teneatur pater ex ea condonationem ſolvere: ut ex multis probat Padilla d. l. Si emancipata, n. 33. & 34. Ergo cum in privatione legitimæ agatur tantum de lucro non acquirendo, poterunt juſte leges privare hoc lucro per ipſaſmet conceſſo, filios invitis parentibus contrahentes. Et ita hanc ſent. tenent Calder. c. 1. de cland. deſponſ. Lapus, Abbas antiquus, Jo: de S. Georg. quos refert dicens eſſe ſententiam multum æquam, Felin. c. Eccleſia, n. 59. de conſtit. Bald. c. Tenor, in fin. de ſent. & re judic. & l. Omnem, ad fin. C. ad S.C. Tertul. Paul. auth. Sed ſi poſt, C. de innoff. teſt. Carolus Molin. inter Alex. conſil. conſ. 97. vol. 1. lit. D & in conſuetudinibus Pariſ. tit. 10. in rubric. Novellus, de dote, 6 part. priv. 16. num. 6. Jo: Lup. c. Per veſtras, de donat. inter vir. & uxor. notab. 3. §. 3. n. 9. & toto §. 8. Montalvus, l. 2. tit. De los caſamientos, lib. 3. fori, Menchaca de ſucceſſionum creat. p. 1. l. 1. §. 10. n. 628. & ſeq. Perez lib. 8. ordin. t. 15. l. 1. f. 284. verſ. Et ſi qualquier, Barb. l. 1. p. 4. n. 56. ff. ſol. matr. Et dicit forte defendi poſſe Sarm. l. 1. ſelect. c. 11. n. 8. Et ex Theologis, Sotus 4. d. 29. q. 1. art. 4. ad 4. Viguerius l. inſt. c. 16. §. 7. verſ. 6. ibi, matr. adeo liberum eſt, Bart. a Ledeſ. de matr. dub. 24. Mol. to. 1. de juſt. tr. 2. d. 176. f. 1043. Salon 22. poſt q. 61. tr. de dominio, q. 5. art. 5. dub. ſpeciali quod de hac re agitat. Vega l. 5. ſum. caſ. 559. Et hæc ſent. probabiliſſima eſt. Quare non eſt audiendus Verac. 3. p. ſpecul. art. 20. concl. 3. dicens non eſſe abſolvendos parentes, qui in hoc caſu per leges ſibi conceſſo exhæredant filias. Sed abſolvendi ſunt: cum ſententiam probabiliſſimam ſequantur.

2 II. Sent. (quam probabiliorem reputo) ait, hujuſmodi leges non eſſe validas, ſed jure canonico correctas eſſe, 1. quia jus canonicum omnimodam in matr. libertatem exigit, & ideo ne minuatur contrahendi libertas, annullat pœnam in ſponſalibus appoſitam, c. Gemma de ſponſ. ſed per exhæredationem valde minuitur hæc libertas, ergo jus canonicum corrigit leges eam penam ſtatuentes. 2. quia c. Tuam, de ordine cognito, & c. Cauſam el 2. qui filii ſint legitim. & c. 1. de ſponſ. definitur, cauſas matrimoniales, & concedere leges circa matrimonia, non ſpectare ad poteſtatem ſæcularem: conſulenduſque eſt Suarez lib. 3. fori, tit. De los caſamientos, l. 2. a n. 18. uſque ad 28. ubi pluribus aliis rationibus hanc ſententiam confirmat. Sic tenent Ant. conſ. 35. Anch conſ. 21. Abb. cap. 1. de ſponſ. n. 8. & c. Eccleſiæ, n. 15. de conſtit. ubi Felin. communem, & multos referens, n. 59. Decius, n. 36. & reg. Nuptias 30. a n. 8. uſque in fin. ff. de reg. jur. Alex. de Nevo, c. 1. n. 23. 24. & c. Gemma, nu. 11. de ſponſ. & c. 1. nu. 10. de deſponſ. impub. Curtius ſen. conſ. 27. Joan. Andr. c. Statutum, el 1. de hæret. in 6. num. 2. Alex. conſ. 97. n. 2. l. 1. & conſ. 7. n. 10. l. 2. Jaſon auth. Sed ſi poſt n. 5. & 6. C. de inoffic. teſtam. Pariſius, conſ. 29. n. 62. l. 3. Guiliel. Benedictus, c. Raynutius, de teſtam. v. Dotem, n. 42. Ripa, l. 1. n. 57. ff. ſolut. matrim. Campeg. tract. de dote, 1. p. q. 13. Henric. dict. c. Gemma, num. 10. & 11. Ang. v. Lex, num. 6. Sylveſt. ibi, q. 15. & Matrimon. 2. qu. 2. Montalvus l. 10. t. 1. p. 4. & ibi Greg. Lop. v. Puedela, Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. § 8. num. 5. Joan. Lup. c. Per veſtras, de donat. inter vir. & uxor. notab. 3. §. 9. & multo ſeq. maxime §. 13. n. 1. Suarez lib. 2. legum fori, tit. De los caſamientos, lib. 2. nu. 20. Villal. in commun. lit. M num. 60. Olanus in concordia juris, ubi de correctione legum partit. n. 71. Navar. ſumm. c. 14. n. 15. Molina lib. 2. de primog. c. 16. num. 9. Ant. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 12. num 182. Julius Clar. pract. q. 82. ſtatut. 3. verſ. Sed nunquid, Gutt. 2. pract. tota q. 5. & q. 1. n. 28. & a nu. 2. Riminal. conſ. 133. a n. 1. uſque ad 32. vol. 2. Azebed. lib. 5. recop. t. 1. l. 2. nu. 5. & ibi Matien. gl. 4. num. 2. Gratian. reg. 83. nu. 11. Fulvius Pacianus de probat. l. 2. c. 3. nu. 108. & ſeqq. Et ex Theologis, Victoria ſumm. de matrim. num. 269. Ledeſ. 2. p. 4. q. 49. art. 6. Veracr. 1. p. ſpeculi, art. 20. concl. 3. Corduba ſumma, qu. 171. fin. Enriq. lib. 11. de matr. c. 6. num. 2. fin. Lud. Lop. 1. part. inſtruct. in 2. edit. cap. 284. §. Sequitur & alia, & 2. par. de matrim. c. 39. f. 1061. col. 1. Manuel 1. t. ſumm.